

Žanrovi poslijerenesansnog latiniteta

- upute i lektira -

Upute

Bodovanje	1. kolokvij (3.XII.2019., Petrović, Rogačić, Rastić, Zamagna): 20 bodova 2. kolokvij (14.I.2020., Pascoli, Čobarnić, R. Bošković, Vičić): 20 bodova Redovito dolaženje na nastavu: tolerira se do 5 izostanaka. Za svaki se daljnji izostanak od bodova ostvarenih na kolokviju oduzima 5 bodova.
Uvjet za potpis	Ostvareno ukupno 20 bodova.
Ocjenjivanje	Ako je student stekao pravo na potpis, prijedlog ocjene oblikuje se na temelju rezultata na kolokvijima. Studenti nezadovoljni ocjenom mogu se najaviti i doći usmeno odgovarati u ispitnim terminima.
Materijali i obavijesti	https://www.hrstud.unizg.hr/predmet/zpl_a
Kontakt	Šime Demo (sdemo@hrstud.hr)

Giovanni Pascoli

Iugurtha

Desine, qui valeam clausum narrare Iugurtham,
haec dum describis, quaerere saepe, soror.

Lux ignota viget, vivi quae corporis ossa
detegit et rerum vel per opaca meat.

Ignota temptant animos quoque luce poetae;
ipsa vatem morte latere potest.

"Hercule, quam frigent" dixit "tua balnea, Roma!":
sensit iners mediis deorsum demissus in umbris
invenitque solum pede, luxque evanuit omnis.
Stridula compactis crepuere repagula valvis.

5

At longis sonor ille diu tinnitibus aures
perculit, ut tonitru cum nox gemit excita caelumque
in tremulas resonante polo devolvitur undas,
post ubi facta quies, aether silet; ecce sub ima
ingruit atque inopina repens immugit humo vox.

10

Haud aliter longum tum regi stridere carcer
visus et in tenebris tacitae resonare cavernae.
Quamquam et bacchatae furor urbis et undique plausus
et clamor geminatus "io io" et pede tellus
plurima pulsa virum, simul aggere dura resultans

15

ungula mugitusque boum strepitusque rotarum
absenti miscent inferna silentia voce.
Vix tandem seque ipse memor deprendit, ut aures
indoluit laceras et brachia laesa catenis,
agnovitque imo fremibundum corde Iugurtham.

20

Flammescunt veteres obliti pectoris irae
undique, venalisque subit Maurusius et nunc

Gaetulam fremit ore fidem, nunc ille Quiritem,
nunc repetit fera verba Mari, nunc subdola Sullae,
aut Numidas magna compellat voce fugaces,

25

aut diro sequitur Marianos omine mulos.
Nec non et Scauros duplices et fulmina Memmi
incusat, numeratque dolos causasque retractat,
iamque iterum obsessum perimit te rursus, Adherbal.
Tum tenebrae plenae regem videre silenti:

30

rex oculos circum nequiquam volvit apertos.
Tum demum turpi cohiberi membra sepulcro
horruit et tabo dilabi viva futuro.
Obstruit ipse oculos, avidos vetat ipse videre,
ut se posse putet, velit modo: comprimit aures

35

inscius et tacita surdas avertit ab umbra.
Ut tandem vires animo revocavit, at illi
spes aliquo taetram lustrabat lumine cellam.
Enecto quid enim victori opus esse Iugurtha
crediderit? fuerat: iam terve quaterve necassent:

40

quidve per ambages et longa morte tenerent?
Hinc tenebris inhiare nigris, hinc si qua ferat fors
rimari sonitus, post secum plurima ringi
atque exauditas nulli ferus edere voces.
Mox iras gravis excepit sopor: ecce soporem

45

somnosque obscuros oblivia longa secuntur.
Adsidua quin ille dies in nocte latentes
nequiquam veteremque diu spem quaerere pergit.
Heu dum conives, animis dilapsa vagantis,
nunc oculos caeci volitans eludit apertos!

50

Sed iam nec regnum antiquum nec sceptrum nec ipsa
iura sui patriamve cupit lucemve diei:
optat vel nigro respersum furfure panem,
vel qua vescentes Marii captivus in armis
viderat hastatos sua per fastidia pultem.

55

Dira fames vigilisque necant ieiunia ventris.
O sibi si valvis praeberet hiantibus aegro
per rimas inserta manus vel pauperis offam,
si fastiditam canibus demitteret escam!
Nil rapiat de luce; suas premat ore querellas,

60

si licet obiecto letum vix pane morari.
Expectat; nec mente dapes depellit inanes
longaque ieiunus celebrat convivium secum.
Auscultat: quid? nonne fores crepuere? quid? umbra
nonne micat? solidam sed noctem continuat nox.

65

Ast iam nec quaerit caeco solatia ventri
nec lucem tantum reseratis postibus optat,
non patrias optat tantum sibi redditus oras:
arma cupit, cupit arma furens; procul agmina cogit,
infrenos equites formidatasque sagittas.

70

Quin caesis iterum Gaetulo litore turmis,
protinus aeriis existit ab Alpibus alter
Hannibal atque urbem ferro populatur et igni.
Tum vero, ut mentem vana de caede resumpsit,
olli radebat siccis sitis arida fauces.

75

Stratus humi querulam taciturna per omnia guttam
auribus hausit iners; nec primum credere passus
obturat digitis aures avidasque moratur.
Mox sensim laxavit hians iter: ecce per umbram

putrida prorupto singultu gutta cadebat.

80

Repere tum coepit, sicca si lambere lingua
udam detur humum, si iam contingat aventi
deciduo patulas fauces supponere rori.
Reptabat genibus sonitus vestigia rauci
aure legens, tacitam quae singultata per umbram

85

ducebant caecis cludebantque latebris
exanimum: tandem labris procumbit hiulcis
aridus. Ast querulum recidens prope gutta sonabat.
Ille autem in solis positum se viderat absens
desertisque locis, nudaque iacebat harena.

90

Fluxerat illi omnis siccato gutture sanguis.
Pantheraene lacer saevo seu dente leonis,
incertum: procul obscenae baubantur hyaenae.
Nox erat an nimium praestringit lumina sidus?
At fons haud longe querula crystallinus unda

95

visus abesse. Ter ille caput conatus et aegrum
tollere corpus humo et cubito fulcire, ter haesit.
Interea lunae quaedam surgebat imago,
quae loca suffiret nebulis et sulphure late.
Tum coram vidit virides astare columnas

100

et patulo patrias agnovit vertice palmas;
aera camelorum resonant ubi pendula collis,
udum ubi fons unda subterlabente papyros
murmur agit: notis miscentur vocibus aerae.
Tum dirae facies illum clamare volentem

105

continuo cohibent; Numidis nam saeptus Hiempsal
ipse suis, palma visus sedisse sub alta.

Ille viam rivo longam solatur et umbra
applicitus trunco; quin procubuere cameli
et Numidae circum per gramina membra dederunt.

110

Quos omnes notosque viros torvosque camelos
in se conversos et defixisse videbat
in se reflexis oculos cervicibus uno.

Unus aquam longis gelidam ducebat Hiempsal
haustibus, et nondum tacitus respexerat; at iam

115

cervices flexas oculis oculosque secutus,
vertere se coepit: subito cum gurgite palmae
corruerunt haustae; rarescunt litore formae;
nullum litus erat: notoque in carcere caecum
singultim recidens hinc illinc gutta vocabat.

120

Nequiquam: vincti sunt artus compede mortis.
Vivit dira sitis; resonant singultibus aures.
Immo age: nec prope nec procul inde tumultus equorum
ingruit: ipse fugit per inhospita tesca rapitque
verbere cornipedem; sequitur cita turma citatum.

125

Arduus ille micat; volat usque volantibus illis:
sed pigrior mutare pedes equus, atque reniti:
extremum sistit saxeo compar ostento.
Tum properare pedes; tum ferrum stridere; clamat;
et lucem rapit atque eliso gutture linqvit.

130

"Ten mihi sex vixisse dies?" ita servus, et angit:
"Durus eras," inquit "sed durior, Hercule, Roma est".

Lav XIII, papa

Rerum novarum

1 Rerum novarum semel excitata cupidine, quae diu quidem commovet civitates, illud erat consecutum ut commutationum studia a rationibus politicis in oeconomicarum cognatum genus aliquando defluerent. - Revera 1) *nova industriae incrementa* novisque euntes itineribus artes : 2) *mutatae dominorum et mercenariorum rationes mutuae* : 3) *divitiarum in exiguo numero affluentia, in multitudine inopia* : 4) *opificum* cum de se *confidentia maior*, tum inter se necessitudo coniunctior, praeterea versi in deteriora mores, effecere, ut certamen erumperet. In quo quanta rerum momenta vertantur, ex hoc apparet, quod animos habet acri expectatione suspensos : denique ingenia exercet doctorum, concilia prudentum, conciones populi, legumlatorum iudicium, consilia principum, ut iam caussa nulla reperiaturs tanta, quae teneat hominum studia vehementius. - Itaque, proposita Nobis Ecclesiae caussa et salute communi, quod alias consuevimus, Venerabiles Fratres, datis ad vos Litteris de imperio politico, de libertate humana, de civitatum constitutione christiana, aliisque non dissimili genere, quae ad refutandas opinionum fallacias opportuna videbantur, idem nunc faciendum *de conditione opificum* iisdem de caussis duximus. - Genus hoc argumenti non semel iam per occasionem attigimus : in his tamen Litteris totam data opera tractare quaestionem apostolici muneris conscientia monet, ut principia emineant quorum ope, uti veritas atque aequitas postulant, dimicatio dirimatur.

Caussa est ad expediendum difficilis, nec vacua periculo. Arduum siquidem metiri *iura et officia*, quibus locupletes et proletarios, eos qui rem, et eos qui operam conferant, inter se oportet contineri. Periculosa vero contentio, quippe quae ab hominibus turbulentis et callidis ad pervertendum iudicium veri concitandamque seditiose multitudinem passim detorquetur.

2 Utrumque sit, plane videmus, quod consentiunt universi, infimae sortis hominibus celeriter esse atque opportune consulendum, cum pars maxima in *misera calamitosaque fortuna indigne versentur*.

Nam veteribus artificum collegiis superiore saeculo deletis, nulloque in eorum locum suffecto praesidio, 1) cum ipsa instituta legesque publicae avitam religionem exuissent, sensim factum est ut opifices inhumanitati dominorum effrenataeque competitorum cupiditati solitarios atque indefensos tempus tradiderit. 2) Malum auxit *usura vorax*, quae non semel Ecclesiae iudicio damnata, tamen ab hominibus avidis et quaestuosis per aliam speciem exercetur eadem; 3) huc accedunt et conductio operum et rerum omnium commercia fere in paucorum redacta potestatem, ita ut opulenti ac praedivites perpauci prope servile jugum infinitae proletariorum multitudini imposuerint.

3 Ad huius sanationem mali *Socialistae* quidem, sollicitata egentium in locupletes invidia, *evertere privatas bonorum possessiones* contendunt oportere, earumque loco communia universis singulorum bona facere, procurantibus viris qui aut municipio praesint, aut totam rempublicam gerant. Eiusmodi translatione bonorum a privatis ad commune, mederi se posse praesenti malo arbitrantur, res et commoda inter cives

aequabiliter partiendo. Sed est adeo eorum ratio ad contentionem dirimendam *inepta*, ut ipsum opificum genus afficiat incommodo : eademque praeterea est valde *iniusta*, quia vim possessoribus legitimis affert, *pervertit* officia reipublicae, penitusque miscet civitates.

4 Sane, quod facile est pervidere, ipsius operae, quam suscipiunt qui in arte aliqua quaestuosa versantur, haec per se causa est, atque hic finis quo proxime spectat artifex, *rem* sibi quaerere *privatoque jure possidere uti suam ac propriam*. Is enim si vires, si industriam suam alteri commodat, hanc ob causam commodat ut res adipiscatur ad victum cultumque necessarias : ideoque ex opera data ius verum perfectumque sibi quaerit non modo exigendae mercedis, sed et *collocandae uti velit*. Ergo si tenuitate sumptuum quicquam ipse comparsit, fructumque parcimoniae suae, quo tutior esse custodia possit, in praedio collocavit, profecto praedium istiusmodi nihil est aliud, quam *merces ipsa aliam induta speciem* : proptereaque coemptus sic opifici fundus tam est in ejus potestate futurus, quam parta labore merces. Sed in hoc plane, ut facile intelligitur, rerum dominium vel moventium vel solidarum consistit. In eo igitur quod bona privatorum transferre *Socialistae* ad commune nituntur, omnium mercenariorum faciunt conditionem deteriore, quippe quos, collocandae mercedis libertate sublata, hoc ipso augendae rei familiaris utilitatumque sibi comparandarum spe et facultate despoliant.

5 Verum, quod maius est, remedium proponunt *cum iustitia aperte pugnans*, quia possidere res privatim ut suas, *ius est homini a natura datum*. - Revera hac etiam in re maxime inter hominem et genus interest animantium ceterarum. Non enim se ipsae regunt belluae, sed reguntur gubernanturque duplici naturae instinctu : qui tum custodiunt experrectam in eis facultatem agendi, viresque opportune evolvunt, tum etiam singulos earum motus exsuscitant iidem et determinant. Altero instinctu ad se vitamque tuendam, altero ad conservationem generis ducuntur sui. Utrumque vero commode assequuntur earum rerum usu quae adsunt, quaeque praesentes sunt : nec sane progredi longius possent, quia solo sensu moventur rebusque singularibus sensu perceptis. - Longe *alia hominis natura*. Inest in eo tota simul ac perfecta vis naturae animantis, ideoque tributum ex hac parte homini est, certe non minus quam generi animantium omni, ut rerum corporearum fruatur bonis. Sed natura animans quantumvis cumulate possessa, tantum abest ut naturam circumscribat humanam, ut multo sit humana natura inferior, et ad parendum huic obediendumque nata. Quod eminet atque excellit in nobis, quod homini tribuit ut homo sit, et a belluis differat genere toto, mens seu ratio est. Et ob hanc causam quod solum hoc animal est rationis particeps, bona homini tribuere necesse est non utenda solum, quod est omnium animantium commune, sed stabili perpetuoque jure possidenda, neque ea dumtaxat quae usu consumuntur, sed etiam quae, nobis utentibus, permanent.

Andrija Barukčić

Synoptico-memorialis elegia

Castalides tenuis dulces praecordia mentis

Sollicitant, sistris officiosa cani:

Illyricis rutilans Sidus portenditur oris;

Advenit et moestis Pontificale Decus:

5 Ut mea cum Patriis solemnia iungere vota

Niterer, et laetum consociare melos.

Passa comis moestum deponito Bosnia luctum,

Et rubeis orna tempora laeta rosis.

Suspice, deterisis vultus rorantibus urnis,

10 Praesule sat Miletich, dum viduata, doles;

Gloria gentis adest, gemmatus veste Sacerdos,

Praesuleum rutilans fert diadema caput.

En Decus, en columen Patriae, Speculumque renidens,

En spes in dubiis optima Bosna tuis.

15 Laetis auspiciis BARISHICH, quem laurea doctae

Palladis exornat, condecoratus ades!

Oscula fas cunctis turmatim fgere dextrae est,

Pectore ter faustum dicere Praesum ave!

Jubila depromit, gestique Seraphicus Hortus,

20 E cuius septis est amaranthus odor.

Vos alii, quibus est aequo Religio cordi,

Solliciti Summo vota dicite Deo.

Quod vestrum est, pia thura litate ministri

Numinis altaris, tendite ad astra manus;

25 Reddite nunc Superis grates, nunc una rogate:

Nestores tribuant vivere posse dies.
Imbelli novitus durum citharaedus Apollo,
Et simul hoc iussum turba novena tulit:
Illyridum celebrem svavi modulamine laudes,
Est genus antiquum, Natio digna coli;
5 Nec reputent gnatam vili de gente recente,
Etsi barbarico est parte subacta iugo.
Quisque etenim Patriae praeconia dicere gentis
Svevit, maiorum gesta vetusta colens.
Quisque Lares patrios cum Gente ad sidera tollit;
10 Semper, et Illyridis concelebranda chely est.
Aptior hac una ventura occasio nulla.
Relicto, monitis disparuere, datis.
Sed quis Parnassus continget vertice Culmen!
Aut capient summi nomina nuda libri?
15 Millibus ex densis saltem producere paucos
In liceat medium Gens Iaphetana tuos;
Est tua posteritas, tenuit quam Thracia tellus,
Nominis Illyricis iuste Iaphete viri.
Qua nos progenie dudum gaudere fauemur,
20 Certi hanc egregios saepe dedisse viros;
Artibus ingenuis excultos, mente fuisse
Insigni claros, ac pietate probos.
Primaevi musis montes vallesque dicarunt,
Thracibus a primis curva reperta lyra est.
25 Threicia fretus cithara fidibusque canoris.
Thracibus id tribuit mellifluusque Maro.

Ex his namque chori Thracii dux laurifer Orpheus,
Parnassi gemino vertice thura litans.
Thracibus Illyricis encomia dicta revise,
30 Quae celebrat Naso tristia fata canens:
Sed quam marte ferox, et vinci nascius armis,
Tam nunquam facta pace cruoris amans.
Adde quod ingenuas didicisse fideliter artes,
Emollit mortes, nec sinit esse feros.
35 Carmina testantur, quae si tua nomina demas,
Threicium juvenem composuisse negem.
Neve sub hoc tractu vates foret unicus Orpheus,
Bistonis ingenio terra superba tuo est.
Utque tibi est animus, cum res ita postulat arma
40 Sumere, et hostili tingere caede manum.
Atque, ut esexcusso jaculum torquere lacerto,
Collaque velocis flectere doctus equi,
Ad vatem vates orantia brachia tendo,
Tera sit exiliis, ut tua fida meis,,,,
45 Adde quod Illyrica, si jam pice nigrior essem,
Non mordenda mihi turba fidelis erat.
Molliter a vobis mea sors excepta Tomitae,
Quos ego, cum loca sim vestra perosus, amo.
Quem vix incolumi cuiquam, salvoque daretis,
50 Is datus a vobis est mihi nuper honor.
Quilibet excuciat nostri monumenta laboris,
Litera de vobis est mihi questa nihil.
Quam grata est igitur Latonae Denila tellus,

Eranti tutum quae dedit una locum etc.

55 Nec dicar Lyciam demens scripsisse chimaeram,

Sed pateat cunctis Gentis origo vetus.

Illyrico primus prodit sub nomine Scylax

Hos, Scymnus, Strabo, Virgiliusque metro.

Scribitur hic populus diros domuisse tyrannos,

60 Sedulus, ac latos amplificasse sinus.

Haec etenim quondam vastis est Illyra martis

Natio belligeris jure potita plagis.

Illyri duris, Macedo, pressere tributis

Te domiti, dones colla dedere iugo.

65 Horum dulcisona Alexander Magne loquela

Uteris, Illyrios instimulare volens:

Viribus invictis rigidi certamina martis

Perrumpant, quorum bella movere fuit;

Fronde triumphali fulsisse, et Gentius audit,

70 Tevtaque Romanas saepe fugasse manus.

Utque alios taceam (plures obscura vetustas

Delevit) tenuit culmina summa Probus

Romani imperii, Justinus, Justinianus,

Aurelius Carus, Valerius, Julius;

75 Hi sunt invicti Illyrico de sanguine nati,

Utque orbis domini, gloria gentis ita,

(Nec quoque praesenti desunt fastigia Genti)

(Nam solet in varios scandere saepe gradus)

Sera, et posteritas dirissima proelia fregit,

80 Protegere, ac soliti tecta paterna manu.

Hungarus hinc, aliusque frequens iuvamen adeptus,
 Arma triumphato victor ab hoste tulit.
 Sveverunt Hunnis socias coniungere vires;
 Pro ditione tamen conseruere manus.
 85 Conspicue nituit constans haec Illyra, virtus,
 Kastriotich, Zrinyio, Frangepanoque duce.
 Dum, quasi trux placidos lupus est immixtus in agnos;
 Christicolas rabidus, sic Saracene feris;
 Aut ferus accipiter pavidas discerpit adunco
 90 Innocuas volueres, ungue rapace ferox:
 Invicti domitus vires exhorruit Othman
 Kastriotae, numquam, qui superandus erat.
 Kastriota! immortale Decus, Tyrinthus Heros!
 Te insignem recolit barbara luna Virum.
 95 Illyrica est Zrinyi Liburnia tellus avorum,
 Cui illi vix paucos aequiparare licet.
 Brankovich, Jugovich, Kraljevich, Smiljanin, Herczegh
 Stephane, Jablanovich, Bane Kuline, Barich!
 Xdralovich, Kobilichque, Pokrajesich Bosnyane Relya.
 100 De vobis vereor fulmina viva loqui. -
 Dicitur esse pium patrios narrare labores,
 Ast nequeo brevibus multa referre studens.
 Cur memorem veteres Bosnae Regesque, Ducesque?
 Cum Decus Illyrici barbarus Othman habet.
 105 Dalmatiae, Albaniae, Bosnae, Croataeque vetustos
 Annales lustres, nomina summa leges.
 Inspice Magnificos, quam multos purpura texit!

Extremus facili fronte sedebat apex.

Quam multus Praesul mitra fulgente Decorus

110 Illyricus Superis thurea dona ferens!

Haeresis est ideo frustra meditata furores,

Illyricam Gentem non temerare valet.

Pastorum zelus froenans hos haeresis ausus,

Non agro lolium sustinet esse suo.

115 Agmina subticeo (satis est Hieronynnis orbi)

Doctorum, quibus haec nobilitata fuit.

Virtutes alias certe est constringere crimen;

Huius nil Gentis de pietate loquar.

Nec studium partis sequor insanabile vanus,

120 Veridicus Vates haec monumenta tenet.

Divitiis, et honoribus orbis denique Bosnae

Christolicis superest sola retenta fides.

Barbarus his techna rapuit regalia sceptra;

Barbarico Bosna est exspoliata dolo.

125 Fida tamen perpes fuerat Gens Induperanti,

Sive fuit proprio, sive parere minus.

Oppressis quoties justis dominantur iniqui,

Non est puniti supplicium meriti;

Sed virtus fidei sub tali examine crescit:

130 Nec servile gravat libera corda iugum.

Nec tento calamis elenchum texere fusis

Nobilium, quosquos Gens memoranda dabat;

Quique solum patrium, possessis marte triumphis,

Solertes constans arte beante colunt.

135 Faustas Dalmatiae, Venetas, Slavonidis oras,

Utque vides Croatas jure quiete frui.

Bosnia sola gemit, sacra sejuncta corona,

Quamvis eximiae fertilitatis ager;

Quae exhibet argentum, frugum variatque colores,

140 Vinum hinc, sal, ferrum, quarupedumque pecus.

Sex denas numeras insessa, atrocibus arces

(Ter felix quondam) Bosna repressa tuas.

Barbarus ignavus, quorum si nosceret usum,

Felix mirabiles accumularet opes.

Felix Bosna fores avibus regnata secundis;

Ast heu Te miseram! Corvis dominantibus atris.

145 O utinam digno possessam Principe Bosnam

Cernam! Sorsve prior, flosve rediret ei.

Reddite vos Superi! Divum placabile Numen,

Respicite in Patriam, quae tumulata jacet;

Resurgat tandem veteri vestita colore,

150 Cui redeat splendor, cumque vigore suo.

Synopsis Lector nostrae est curtissima Gentis;

Exiguae molis spernere nolis opus.

Baro Bošković

Patriae desiderium

Illyrici colles, atque altae antiqua Ragusae
Moenia, vagitus conscia terra mei;
Quando erit, ut vestras redeam vetus exul ad oras,
Flensque feram patrii oscula liminibus?
Quando erit, Adriaci relegens tumida aequora ponti
Deprecer ut faciles in mea vela Notos!
Septima jam gravidum spicis caput extulit aestas,
Et peragit cursus septima bruma suos;
Ex quo me terris Mavortia Roma Latinis
Abstractum a dulci distinet Illyria.
Hei mihi! si tectis potui procul esse paternis
Tempore tam longo, ferreus ipse fui.
Non me longaevus parens, aut optima mater,
Nec dulcis potuit me revocare soror.
Nec desiderium teneri mea pectora fratris
Contigit Armeniis aemula tygridibus.
Ipsa etiam ut terras procul hinc scrutetur apricas,
Trans freta longinquam carpit hirundo viam,
Vere novo tamen usque redit, sua tecta revisens
Pendula ab antiqua qualiacumque trabe.
Ipsa etiam offensi fugiens odia alta parentis
Medea, et fratris caede cruenta sui,
Saepe ad desertos retulit sua lumina Colchos,
Et lacrymans dixit, Terra paterna vale.
Ast ego nec patriamve meam, vel fata meorum
Sacravi externo perfidus hospitio.
Nec me discerpti fratris serere arva cruore
Spectantes, Hircanae obstupuere tygres:
Nec fraudata suis per me fuit urna favillis,
Palleat ut magis Cynthia carminibus.
Quid tamen haec bene facta juvant, si durius ipsa
Colchide vesanum cor mihi robur habet?

Si pater, et genetrix, et quidquid dulce putatur,
Nomina sunt animo vilia facta meo?
Ah pietas; ah humani vetus incola sensus
Atque expulse meo e pectore dulcis amor,
In nostros remeate sinus, animamque rigentem
Mollite, et sacra conficite usque face.
Ibimus, Adriaci, sic stat, sulcabimus undas
Aequoris; o cupidae pandite vela rati.
Martia Roma vale, nimium mihi cognita longo
Tempore, nunc demum jusque, piumque vocant.
Sterne viam, Neptune, iras compesce furentes
Undarum, patria est terra petenda mihi.
Fac Zephyros spirare leves, animamque Favoni
Lascivire alis per freta purpureis.
Nympharumque chori circumfundantur eunti,
Tethys, cumque sua Doride Nereïdes;
Et Glaucus puppim impellat, viridisque Palaemon
Proram occursuris subtrahat a scopulis.
Quod si forte negent faciles maria aspera cursus,
Et toto praeceps impete regnet hyems,
Aethera carpemus medium: maria ipsa stupebunt
Per non assuetas me dare vela vias.
Nec tu, Daedale, eris coelo libratas ab alto
Unica venturi temporis historia.
Daedalus, ut perhibent, patriae telluris amore
In labyrinthaei dum jacet arce doli,
Avulsam volucrum plumam sociavit in alas,
Artifices pennis applicuitque manus.
Par causa, idem amor est nobis: Amor ipse lacertis
Aptabit pennas, remigiumque meis.
Quin etiam ipse meos anteibit in aethere cursus
Aliger, ignotae duxque comesque viae.

Qualis sidereae sublimi e vertice pinus

Mater vix natis anteit alitibus.

Tunc mihi nec medio placeat signa ardua coelo

Discere, nec geminos visere velle polos,

Erigonemque, Ursamque, et qua se parte videndum

Explicit, et stellas abluat Eridanus.

Icare, linque ducem, medioque invectus Olympo

Aemulus ignivomis, i, licet, usque rotis.

Illyris Adriaco ridet qua littore tellus,

Indeclinata me feret aura via.

Teque alta aspiciens superantem sidera, dicam

Dulcior est ipsis Patria Sideribus.

Ruđer Bošković

De Solis ac Lunae defectibus

Cur quondam aethereas Titan sine nube per auras
Dum micat et puro respergit lumine terras,
Praetexat subita nitidos ferrugine vultus
Impatiensque morae fuscis Nox prodeat alis
Atra die medio stellasque inducat Olympo;
Cur, sudo dum laeta nitet Latonia coelo,
Nunc tenebris condant caput et nunc sanguine multo
Inficiat frontem, Latiis memorare Camoenis
Aggrediar penitusque imas educere causas.
Tu mihi, qui Arcadico, aethereo qui summus Olympo,
Phoebe, nites, naturae aditus tu pande repostos
Divinumque immitte jubar, tu suffice venam
Te dignam! Tua res agitur, seu lumina terris
Ipse neges, solita seu fraudes luce sororem.
Tuque adeo Aonias inter mihi maxima divas,
Uranie, terras quae dedignata jacentes
Alta petis cursu et caput inter sidera condis,
Huc ades atque tuum facilis ne desere vatem!
(...)
Praeterea globulus, rubicundae stamina lucis
Flectere qui medium evaleat delata per axem,
Obliquis illapssa viis reliqua omnia flectet.
Majora haec etenim vicium intervalla requirunt
Perque globum obliquo tendit quae semita calle,
Est brevior, medio quam qui traducitur axis.
At contra medium globulus deducta per axem
Vix potis est violae qui languida flectere fila,
Nulla parte sui reliquos inflectere fucos
Et circum aeriis poterit dispergere campis.
Corporis hinc radius liquidi per viscera si se
Tramite perspicuo tulerit, cui mole minuti
Occurrant varia globuli partemque reflectant,

Semper plura viam mutabunt tristia fila,
Quae referunt violam, ardenti quam tincta rubore
Caeruleique adeo praebebit forma coloris
Se tibi reflexo spectandam in lumine; contra
Transmissum lumen sensim flavescet eundo.
Quin et longa satis post intervalla viarum
Stamina jam violae quondam jamque Indica ferme
Deficiunt, magna distracta e parte, viretque
Reflexum jubar ac transmissum sanguine fervet.
Est alta aequoreas quam mos demittere in undas
Machina: conclusas gremio premit aeris auras
Nequicquam inferne conata irrumpere lympha.
Hinc inde insertis crystallus pura fenestris
Admittit Phoebi radios pontumque coercet.
Ipsa suo moles stat pondere tuta; sub imo
Piscator gremio sedet ac vitalibus auris
Vescitur et conchas seu dura corallia carpit
Sive rates fundo mersas rimatur et aurum
Extrahit ac vectas peregrino e littore merces.

Josip Čobarnić

Diocleas

Fata cano Dioclis, Roma qui venit ab urbe
Imperium fugiens, posito diademate frontis,
Haud procul a longis, privatus, in aede Salonis
Ultima securae perducere tempora vitae.
Relligio, tua gesta cano, partumque triumphum
Dalmatico tandem victrix in littore, primum
Postquam obiit dirus rabie cessante Tyrannus.
Virgo potens coeli, quae fulgido in aethere regnas,
Numinis aeterni Mater, dilectaque Nata,
Quaeque sacrum recolis Templum, quo turpia quondam, 10
Tartareis instructa dolis simulacra nitebant,
Auxilio praesens adsis; vim trade canenti.
Grande scelus, fraudesque malas, artesque profanas
Exere, regalique erecta palatia luxu,
Et saevas Dioclis poenas, coelestiaque arma:
Adde novum cordi divino flamine robur.
Lux erat, excitus furiis qua Caesar iniquis
Multa fremens, Dioclem flagranti voce fatigat
Et furere in miseros lustrali flumine lotos
Christiadas, mactare omnes, succendere templa, 20
Vertere in excidium, fatale extinguere nomen.
His actus, solio Diocles furibundus in alto,
Hostis, ait, pereat, pereant inimica Deorum
Pectora. Avernalem vulgat fera buccina legem.

Nobile Bithyniae Templum, quo thura fideles
Sacra Deo ferrent, noctu facto impete passim
Adsiliunt turbae; dissolvunt cardine portas.
Tum penetrant, armisque urgent, atque omnia miscent,
Evertunt aras, rapitur pretiosa supellex,
Librorum cumulus comburitur, altaque circum 30
Tecta labant concussa ictu. Crebrasque ruinas
Jam monstrant passim, tignorum vincla cremantur,
Junctura in praeceps murorum solvitur omnis:
Nil nisi saxa jacent: saxorumque area, et horror.

 Tum Tiberim cernunt Capitoliaque alta Quirini
Infernis acti diris, monstrisque Tyranni.
In populum lex atra datur, mediis e faucibus orci
Barbaries egressa furit, crudelis Erinnys
Anguineis implexa comis, stridente flagello,
Per fora, perque vias errat, crudelia miscens 40
Funera funeribus: regnat mors horrida vultu.
Christiadum turbae, vinclis post terga revinctis,
Undique mactantur, poenasque agitantur in omnes.
Jamque cruces surgunt, vexataque corpora monstrant
Jamque rotae torquent artus, ex ossibus ossa
Dirumpunt, nervosque secant, jam pectine membra
Dilaniata cadunt, cruor it, trepidantia carnis
Frusta jacent circum, plumbo ferventia in aera
Vel pice flammanti ponuntur corpora, et ipsa
In capita effundunt stridentia vasa metallo. 50

Figuntur alii jaculorum cuspidē caesi,
Procumbunt alii passim, mirabile visu,
Arbore ab adversa rapti lacerantur utrimque
Igne ardent alii lento, carbone cremantur
Cratibus impositi, nodorum singula cultro
Vincula partiri cernunt. Quis talia fando
Continet a lacrymis? Diri spectacula theatri
Saeva patent. Urget plebs, se calcatque, premitque,
Jamque catervatim, niveis cum vestibus adstant
Christicolae, pia vota Deo cum caede daturi. 60
Dentibus infrendent tigres, caudaque leones
Horrendum resonant, atque agmina crebra ferarum
Innocuos lacerant artus, rictuque cruento
Pulvereos inter cumulos, rapiuntque vorantque.
Gens plausus tollit, congaudet caede tyrannus.

Ignjat Đurđević

Christo Domino nato, idillium

Betleo postquam iacuit deiectus in antro
Seclorum spes longa Puer Iesseaque circum
Tandem permissae plauserunt pascua sorti,
Continuo de rupe cava Nabatheus Himilcon
Obstupuit viso et tanti ad vestigia partus
Vultu pressit humum, fibrisque illapsus ab alto
Impetus et subito caluerunt pectora metu.
Tum canere exorsus: lymphae siluere loquenti
Et Boreae stetit aura, suas librata per ulmos
Audiit alituum soboles, dominique canentis
Herbarum immemores vocem excepere
capellae.
Concine Bethlemiis mecum de cautibus Echo!
Qualis in horrentes Stygia ferrugine terras
Exspectate venis! Video, te prona salutant
Rura, tibi celsas motant nemora ardua fagos.
Concine Bethlemiis mecum de cautibus Echo!
At quid, terra parens, nascenti sternere cessas
Gratas veris opes et sacrum lambere corpus
Pallenti viola et luteolo amarantho?
Iamque, rabens Hyacinthe, rosae, capita ignea
tandem
Tollite, et a molli pingatur caltha ligustro.
Sed cessa, nihil est nascenti numine dignum,
Et tua ab opposita sorderent munera forma.
Concine Bethlemiis etc.
Ah ne te rigidi perstringant flamine Cori,
Ah tibi ne teneros durum specus urgeat artus!
Te tangente tamen mollescent aspera saxa
Et parcent Cori, novit quoque Corus amare.
Concine etc.
Te veniente, puer, tandem meliore sereno

Instauret mundus faciem, pax emissa per
orbem
Emicet, et placidos ensis curvatus in usus,
Sanguine quae tinxit, sulcet sola ductaque
longam
In falcem gravidas populetur lancea messes.
Concine etc. 114
Audior; infensos iungit concordia mores:
Vitis amat corilum, tristes examina taxos,
Quercum oleae pingues, pallentes poma
miricas;
Alludunt tygres pecori, mollesque iuencos
Lambens ursa fovet, tenero lupus accubat
hedo.
Concine etc.
Iam gravibus stabulis cratique intexta salignae
Arida virga avido pecudum frondescit in ore,
Iamque exesa cavis et hiantia robora truncis
Deproperant hederæ triplici vestire corymbo.
Serpentum cunas saevique cubile draconis
Ultro scena virens et arundine rauca sonanti
Ambit, et a nuda surgunt uligine iunci.
Concine etc.
Currite, pastores, per pascua tuta, recessit
Agnis herba nocens, seu vos movet herbidus
Arnon
Seu Saron egelidus vel oliviferi Carmeli
Prata vel aestivis Hesebon pellucidus undis.
Concine etc.
Tanta mihi puero, memini, narrare solebat
Fatidicus Pelates, quo non prudentior alter

Ventorum insidias pluviaeque et grandinis
atrae

Inspecta subitos luna praedicere motus.
Desine Bethlemiis mecum de cautibus Echo!

Iter ad antrum Bethlemiticum stylo Livii Andronici, poetae vetustissimi iambici

Acurasso, ne mihi abusa sit via, grandibo gradus.
Vix queo, pape! oppido mi prae curriculo istactenus desudascitur,
Egomet iam gravastellus, nec meo immerito, cluo,
Defloccata canitudo et vires concipitatae meum itiner lamberant.
Inque tute, bucaeda bubsa, per tua te quaeso pecuda,
Sic ne te infelicare velit magnos Iovis, inque mihi ignaruri,
In qua domu puerum puera Puerpera peperit et lactem nato danit.
Atat, gemit vox meas aureis batuit. Ellum! euax! ipsus est Diespiter,
Qui manceps humanum capital in specu suo cordolio luit.
Salve, mea lubentia, turturille; salve, passercole, columbule,
Mi lepus, mea monedula, mulse, mel, mellilla, mellinia,
Tu mepte dulcificas, o licessit mi tecum aevum agere,
Moriri nequitur ibus, qui tecom sedent.
Fungi sunt et buccones, bucculenti, eleborosi, blitei,
Qui mavolunt cunctare, nec hilari convenibunt te, o Deus ipsissime,
Ut labias isti tuo nidamento applicent et dorsa in curvedinem duint.
Egone me hinc aliquo abstulam? Nae cerritus, si id faxo, fuam.
Nam mea confirmitate autumo me, quod volupe est, a te impetrassere,
Mi decet te amplectier efflictim et contente, qui caelos amplectis manu.

Duro Ferić

Uxor a viro repudiata (Hasanaginica)

Quid viridi in silva candens elucet? An illud
Nix, an cycni? Si nix, verna resolveret aura;
Si cycni, jam sese illinc pernicious alis
Abriperent. Non ergo nives, non agmen olorum est,
At ducis Assani niveis tentoria velis.
Saevo ille in pugna perfossus vulnere maesta
Voce dolet: mater, germanaque flebilis aegrum
Invisunt, sponsam tenuit pudor. Ille superbe
Id factum reputans irascitur: hinc ubi coepit
Vulneris accepti minui dolor, aspera fidae
Indici haec sponsae jussit. "Ne me amplius albis
"Expectes in porticibus, nec divite in aula,
"Conjunctosque inter mihi sanguine. "Talia postquam
Audiit infelix domina, in diversa trahebant
Crudeles animum curae: circum atria tecti
Illa maritalis strepitus exaudit equorum,
Et celeri gressu turrim conscendit in altam,
Ut se praecipitem mittat moritura deorsum.
At geminae extemplo sua post vestigia natae
Accurrunt: ah! chara parens ah! retrahe gressum:
Hic qui fertur equo non est pater, at tuus ad rem
Pintori soboles frater venit. Uxor ad illa
Assani tenuit gressum, & candentia collo
Brachia fraterno innectens, proh dedecus! inquit,

Sic quinae sobolis mater miseranda relinquit?
Nil olli frater, sed quae sub veste latebat
Pupurea chartam tradit, qua vincla prioris
Conjugii solvens iterum sibi tempora sertis
Alterius nova sponsa viri praecingat, ad aedes
Maternas comitante illo cum venerit: aegra

Scriptum ubi percurrit mulier, repetita duobus
In frontem natis tulit oscula, & oscula proli
Foemineae in roseis impressit vultibus, at se
A puero in cunis posito divellere prorsum
Haud potuit, sed eam multa vi denique frater
Barbarus avulsit frater, dorsoque locatam
Quadrupedis secum patriam perduxit in aulam.
Illa brevi hic mansit: nondum septena rubentes
Aurora extulerat vultus, cum sanguinis alti
Mille proci dominam petiere; Imoschus at illam
Prae reliquis Praetor petiit. Flens illa rogabat
His fratrem: me nulli iterum sociare marito
Frater amate velis, vitae per lumen ego te
Dulce tuae obtestor, ne me dolor opprimat, orbam
Cum sobolem aspiciam: duro ille ast ferreus ore
Voces contemnit miserae, Imoschoque sororem
Praetori in sponsam jam destinat, illaque rursum
Sic rogat: ah! quoniam tua fert ita certa voluntas,
Imoscho sic scribe duci. "Tibi sponsa salutem
Mittit, teque orat, cum tu illam connubiali
Ducere cum turba processeris, ut simul olli
Peplum grande feras, quo summo a vertice ad imos

Usque pedes se se obvolvatur, ne cernere possit
Ipsa orbam sobolem genitrix, cum transeat altam
Assani ducis ante domum. "Vix talia Praetor
Scripta sibi Imoschus legit, magnam undique cogit
Vim comitum, qui sponsam adeant, peplumque quod optat
Fert secum, Adveniunt ad sponsae limina faustis
Ominibus, fausteque illam comitantur euntem.
At dum praetereunt Assania tecta, fenestris
Ex altis matrem geminae aspexere puellae,
Processere foras pueri, qui talia flentes
Orabant: ad nos genitrix dilecta revertite,
His caenam sumas ut in aedibus. Illa ubi posci

A natis audit se talia, supplice fari
Sic primo comitum voce incipit: o mihi fratris
Tu dilecte loco, & senior dux agminis hujus,
Hanc prope quadrupedes paulisper sistier aedem
Quaeso jube, suprema meis ut dona relinquam
Natis, quae nostrum erga illos testentur amorem.
Substitit extemplo pressis equitatus habenis
Ante domum: charae genitrix tunc munera proli
Obtulit, auratos pueris dat habere cothurnos,
Pallam virginibus, limbo quae tangat arenam:
At posito in cunis puero mittebat amictum
Exiguum exiguo. Cuncta haec aspectat ab aede,
Quo se rettulerat medicato cuspidis ictu
Assanus, natosque suos deinc advocat: ad me
Nati infelices, nati remeate relict,

Quandoquidem vestri haud voluit miserescere mater
Ferrea: ut illa viri vox aegrae perculit aures
Conjugis, extemplo tremebundo corpore labens
Exanguis illa solum vultu percussit, & una
Vitam exhalavit natos discedere cernens.

Mulier nupta viro seni (Sve ptičice propjevale)

Veris excitae tepore (*)
Cunctae eodem tempore,
Praeter unam quae tacebat,
Concinebant alites.
Sociae ad illam: quid misella
Ipsa non cantas quoque?

Non misella canto, mater,
Quod seni me tradidit:
Quid de eo faxo docete,
Sociae & aequales meae.
Ligno utrumque acuminato
Lumen illi elidito,
Ne deinceps in tua audax

Ora possit figere.
Fuste brachia obtere illi,
Ne dare amplexus queat,
Atque dentes frange pugnis,
Ne notam illis imprimat.
Labra filo consue, ori
Ne tuo det suavia,
Quo seniles volvat artus,
Molle stramen sternito.
Huic polentam coque tenellam,
Se se ut illa repleat.
Ad tuas deinde socias te
Fer misella, & concine.

(*) Saraii, quae primaria e Bosniae civitatibus, adolescentulam in matrimonium ducente seniore quodam ex iis sapientibus, quorum responsum, iudiciumque proximum a lege locum habet (hos Turcae Mufti appellant) complures puellae convenientes, ut in similibus mos est, hos sub impudentiuscula allegoria versiculos illi cantavere.

Marko Faustin Galjuf

Navis Ragusina

Laeta Gravosanis ubi pubes nautica in oris
Ingentes properat pinus, et robora scindit
Dalmatica Euxinos olim visura furores,
Stabat Senchicidum navis pulcherrima fratrum,
Celsa, parata mari. Dederat jam buccina signum,
Et duri circum artifices, pars vincula nectunt
Stuppea, pars laterum retinacula vana resolvunt,
Unctaque subjiciunt prorae tabulata minanti.
Tum vero totum vidisses fervere litus
Spectantum studio, remisque frequentibus actas
Tercentum in medio cymbas colludere portu.
Vicinae interea linquentes alta Ragusae
Moenia clari aderant cives, villamque subibant
Pozzaicam, unde omnis sinus et Pechaea videri
Sylva potest, ternaeque procul per caerula sparsae
Hadriacisque objectae Austris formosae Elaphites.
Devenere viri, quos in sublimia duxit
Atria sperato adventu laetissimus hospes,
Dehinc pateras Arabo fumantes nectare jussit
Efferri, et concreta gelu redolentia fraga.
Ecce autem adveniens subjecto e litore, Salve,
Pozzaides Nicolae, inquit Casnaccius, et te
Da facilem oranti: judex tu posceris, audi.
Illam quo tandem decorent cognomine puppim,
Senchicidae inter se, pulchra est discordia, certant.
Scilicet ut nostrae magna inter nomina gentis

Unum aliquod solemnī hodie clamore vocetur,
Fratribus idem ardor, sed postquam in mutua ventum est
Consilia, ancipites medio in sermone resistunt;
Et nunc, incepto ne sit mora longior, ipsi
Me tua scitatum mittunt oracula fratres.
Fare agendum, vocemque tuam ratis ipsa sonantem
Audiat, et primas audentior irruat undas.
Ille sub haec: gratam, o pelagi clarissime mensor,
Rem petis; at simili, nec enim mirabere, honore
Haud me dignor ego. Qualem mea villula coetum
Excipiat, tute ipse vides. En qualibet auctos
Arte viros, omnes Latiam Illyricamve paratos
Aut Italam tentare lyram. Quid plura? virentem
In mediis agnosce senem, qui digna Marone
Verba sonans Ithaci cecinit discrimina Ulyxei,
Vixque minor visus summo est interpretes Homero.
Ille et praesago meditatus carmina plectro
E terra aerias docuit volitare carinas.
Hic vir, hic imponat nomen, sive illius ipso
Aequorea haec etiam jactet se nomine navis.
Vix ea dicta, omnis chorus adsurrexit, et una
Praesentem praesens iteravit voce Zamagnam.
At senior placido subridens leniter ore
Audite, o, dixit, juvenes, melioraque mecum
Discite. Me quondam, fateor, sic laudis alebat
Spes et cura meae, velut ignem ventus inertem,
Aut bibula optatae violaria rivus aquai:
Nunc quoque, centeno dum cominus obruor anno,

Suaviter obtusas vester sonus excitat aures;
Sed, si quid merui, satis est. Date sarta: sepultos
Ipse prior cineres civili munere spargam,
Senchiciaeque rati dabitur, qui quaeritur, auspex.
Ast heu! dum veterum recolo monumenta parentum,
Quis potis est infixum animis frenare dolorem?
Multa equidem (meministis enim) multa horrida dictu
Vidimus, injusto cum nos nil tale merentes
Post captam Italiam fera milite Gallia pressit,
Hostilesque acuit non nostra in bella catervas.
Tunc primum horrisono commixta incendia ferro
Victus in obsessam vomuit mons Sergius urbem,
Tunc scelerum omnigenae facies, tunc Ombla
 cruentis
In mare fluxit aquis, mirtetaque amoena feracesque
Occiderunt oleae et totis navalia ripis.
O patria antiquis Epidauri elata ruinis,
O patria Illyricae nuper non ultima terrae
Gloria, fatidico ni te FRANCISCUS ab Istro
Respiciat, iubeatque novam sperare salutem,
Iam fuimus, remanetque tui vix nominis umbra.
 His dictis, haesit gemitu vox pressa senili:
Obstupere omnes, et facta silentia, donec
Sedato vates iterum sic corde locutus:
 Vixere ingenio, veroque labore nitentes
Gentibus in multis multi, sed ab agmine tanto
Pauci, quos vivos felicius extulit aura,
Effugiunt longae consueta obliviae noctis.

Urbs tamen una, brevi nostra urbs circumdata

muro

Tot gaudet superesse suos post funera gnatos,

Quot possint cuicumque aliquod decus addere et urbi,

Et densas numeranti arces atque oppida regno.

Plaudite: fama illos Tiberino a flumine surgens

Trans et nimbosas Alpes saevamque Pyrenen

Et maria extremos late interfusa colonas

Fertque feretque memor, dum Graja Quirinaque

stabunt

Lumina inexhaustis semper rutilantia flammis.

Plaudite: progreditur nota me STAYUS acer

Voce vocans. Quantus fugit ille per ardua coeli

Nubila, et obstantes manibus diverberat umbras!

Quantus et argenti descendens victor ab Arcto

Praeterit et nemora et vallis, aut aequora tranat.

Lucretique gerens chlamydem mentemque Platonis

Visa triumphali celebrat penetralia cantu!

Ponevenit, dextramque ultro mihi tenditamicam

CUNICHIUS, dextram! qua non industrius ulla

Attulit Argivo lectos e cespite flores,

Quaque mihi suerat vestigia cara sequenti

Divitias monstrare novas. Hinc aemula virtus

Me tulit, ut veterum monstra Hesiodaea deorum

Abriperem, et Danais regnata armenta bubulcis:

Tempore quin ipso, quo tristia Pergama circum

Noster hic exultantem ira revocabat Achillem,

Ipse etiam haud aequis contendere viribus ausus

Aegaeo vidi scopulos Aquilone sonantes,
Antiphatenque ferum et Scyllam et Cyclopia saxa.
Gloria parva mea est, si qua est; dedit ille stupenti
Maeoniden Latio Romana in lucee videndum.
Jam subit, atque alacri se BOSCHOVICHIVS effert
Jucundum adspectu, ut quondam, cum mystica
 princeps
Cunctarum explicuit rerum primordia et omni
Luctantes, mirum! geminas in corpore vires;
Seu cum tot tenues angusto in cortice gyros
Pingeret inspiceretque inhians, atque inde mo-
 veret
Pondera terrarum et caeli portenta profundi.
Ecquis nunc ramum gerit et fulgentibus anguem
Implexum spiris? haud certe Asclepius ille,
Cui nostri extulerunt, dum somnia vana cole-
 bant,
Templum insigne patres. Hic, qui, nec fallor, acuto
Primum oculo vidit, solidis quae quantaque fibris
Vis et vita subest, si tardior alta volasset
Ad supera, Hippocrati vel par vel proximus esset:
Hic BAGLIVUS erat, nostro haec de sanguine virtus.
 Salvete aeternum, et parto gaudete triumpho,
Illustres animae! Nova me rapit altaque imago,
Alta quidem, sed mixta aliis vultuque modesto,
totaque ut in pictis vivit spectanda tabellis.
Iste, GHETALDE, color tuus est. Tua fata revolvens
Quam saepe indolui! Galilaeum Hetruria clamat,

Gallia Cartesum, Neutonumque Anglica tellus;
Teque prope indictum squallens amplectitur urna!
Attamen, ante illis quam lux tam clara micaret,
Tu prior arsis. Duce te Pergaeus ad auras
Teque Syracosius remeavit vindice mentor,
Atque ambo stravere viam majoribus ausis.
Hinc magnum Eulero Lagrangaeoque peractum
Est iter; hinc alii surgent crescentque nepotes.
Tu, quae lex certo torquens gravia omnia motu
Evehat aut merset, tu, quales temperet almus
Sol radios, vitreo cum ludit in obice, velcum
Exhilarat terras pluvium sinuatus in arcum,
Tu quoque, Chaldaeam post signa educta per artem,
Unde & quo cursu diversas linea formas
Exstruat, optataeque ferat spectacula molis,
Scripsisti invidia major, cum nescia rerum
Saecla Stagiraeae tremarent sub verbera dextrae.
Tantumque indigenae civem patiemur inultum?
Ne dubita: nostris hodie celebrabere votis,
Et nomen dabis ipse tuum, quod cuncta pererret
Aequora: praelato invideat nemo alter honori.
Nondum ea finierat: jamque hospes & inclyta turba
Aestuat, atque ipsa linum Casnaccius album
E specula exagitat, spargitque per aera nomen
Magni, quem veteres Beeten dixere, Ghetaldi.
Tunc veluti primo incipiens se attollere tractu
It levior fluctus, sed eundo colligit iram
Impatiens, longaeque ferit capita aspera rupis:

Fit fragor, elisaeque volant ad sidera spumae;
Haud secus ex humili, sonuit qua nomen, arena
Exoritur fremitus, mediumque ingentior agmen
Occupat, & sparso cava litora nomine complet:
Senchicidae unanimes plaudunt, stantesque superba
In puppi, speculam, vox unde allata, salutant.
Jamque opere instructo, patuit circum undique
campus,
Quem pius ingreditur veneranda in veste sacerdos,
Suppliciterque oculos templa ad coelestia tollens
Vota precesque jubet. Nudato vertice nautae
Submissique adstant: paucis sic ille precatur:
O qui, diluvio tellus cum tota jaceret
Obruta, Lamechiden primae inter septa carinae
Armenii tandem duxisti ad gaudia montis:
Quique procelloso suspensum in gurgite Petrum
Cum dubios inter frustra trepidaret hiatus,
Jussisti certo invictum procedere gressu;
Da, precor, haec scopulos, haec omnes machina
syrtes
Transvolet incolumis, justo & quaesita labore
Dona domum referat: da caram nauta revisat
Uxorem & patrio pendentem e pectore prolem,
Ac meritas discat supplex tibi solvere grates.
Dixit, & excusso circum bis terque metallo
Elicuit sanctos felici aspergine rores.
Nec mora: conceptis digesta in litore flammis
Aera tonant, resonant colles, & conscia ab alto

Navigia ingeminant ignem, dum laetior ipse
Sol cedens miti juga frondea lumine vestit,
Luxuriantque leves per stagna liquentia venti.
Continuo artifices monet hinc fabricator, & illinc
Dux monet ardentis nautas. Mox pocula uterque
Antiquo de more tenent, libataque stantem
In puppim jaciunt. Laetanti contremittit ictu,
Nutatque, & stridit, subitoque emota tumultu
Praecipitat navis. Fugiunt sub pondere fluctus,
Illa effert sese, & victis dominatur in undis.

Matija Petar Katančić

Epicedion Phyllidis

Phyllis cara iacet, pallida corpus et
malas, quae roseis ante coloribus
fragrabant, tenero languida et ultimum
ducit pectore spiritum.

5 Quis te, Phylli, dolor fatave tristia
sic torquent nimium? Phylli, reponito!
En adsunt Dryades; te tua, respice,
Phyllis, Cynthia nominat.

Intendens oculos maesta recondidit;
10 non vocem, Lachesi pressa, Sororibus
reddit, non querulae verbula Deliae:
mox, heu, vivere desinit.

Ah, saevam Stygiae ac terribilem manum
Parcae, quae iuvenem Phyllida sustulit!
15 Ah, flete hanc, Satyri; flete, tenellulae
Nymphae; flete, cavernulae!

Vestrum Phyllis erat, cum steterat, decus;
vos plausu atque iocis exhilaraverat
Phyllis vosque genis blanda rubentibus
20 traxit fronteve candida.

Quisnam artus graciles, quis teneras manus,
quis nigrum cilium, caesia lumina
cernens non subito Phyllin amaverit?
Cuius diva Venus genas

25 pingebat roseis ipsa coloribus,
queis unxit faciem blandula splendidam,

cum vellet reliquis esse venustior
Troiano Paride arbitro.

O, flete hanc, Dryades, flete Sororibus
30 iunctae Naiadibus lugubre Oreades;
et quisquis recolis rura, rependito
carmen flebile Phyllidi.

Non iam laeta ferent pascua pristinos
ludos, nonque choros ducet amabiles
35 Nympharumque phalanx et Satyrum greges
cedunt stamina Phyllidis.

O Pan, silva tacet; luget amoribus
frustratum nemus et purpureae rosae
flaccescunt, gelidis quando liquoribus
40 hument tempora Phyllidis,

Suavis Phylli, vale! Phylli tenellula!
quae victura diu vivere desinis;
vixisti modicum, sed satis illud est:
plus pulcra esse nequiveras.

Poeta ab Iove post diuturnam siccitatem petit pluviam

Quid, magne, caeli vertice, Iupiter,
alto moraris? Quid patientibus,
Phoebe quater cornu innovante,
perpetuos Phaetontis aestus

5 non mittis imbrem? Non reficis solum,
crebros hiatus sole quod igneo
ustum querenti monstrat ore

atque petit pluvios liquores?

Cratere divum nectar eburneo

10 potas in aula nobilis e manu

Hebes, amoeno vel beatus

assidue recreare luco.

Aut fronte bellam prendere blandula

ardes puellam, dum violas legit

15 per prata Sidonis virago

datque tuo capiti corollam

incauta, tauri dum specie Iovem

nescit latentem, dum levis insidet

tergo et cava mulcet ferentem

20 multa manu rapiturque ponto.

His parce ludis, maxime Iupiter,

et, si tibi cura est generis tui,

audi preces natum et salubrem

da populo pluviam petenti.

Parentibus Martini Perczky, cum

primum offerret Superis sacrificium,

dicatum

Scribe Parnassi tacito recessu

septimo Budaë Celebris Calendas

gesta Sextiles laribus Minorum;

scribe, Thalia.

5 Heic rosas Divi capiunt quaternas:

hortulus cunctas generarat unus,

rore fragrantés fuerant recenti.

Scribe, Thalia.

Ad latus binae rubeo colore

10 candidam spectant medio nitentes;

una consortes rubicunda ducit.

Scribe, Thalia.

Gratius spirat medio nitescens,

rore quod Divos recreat recenti,

15 quod novum spargit Superis odorem.

Scribe, Thalia.

Alter adspirat socii colorem

flosculus: rubrum refovet nitore

candidus, candor recreat ruborem.

20 Scribe, Thalia.

Quis, cedo, talem potuit videre;

hortulum, tales reperisse flores?

Prole quis tali fruitus parentum?

Scribe, Thalia.

25 Scribe sublimis tenero beatam

populi libro, nemorosa, lucem,

Daphnis; et numquam peritura scribe

verba, Thalia,

Buda dum stabit patriaeque nomen,

30 gentis et nostrae populique virtus;

flosculis, et qui hos genuere, laudem

scribe, Thalia.

Ad Silvam Parnassi Pannonii

Silva Parnassi, tenerae phalanges

quam colunt divum, nemorosa, salve!

Silva, sacrata redimita Lauru,

dives Apollo

5 quam tenet, casta medius caterva

Naiadum, suavi modulante plectro,

Silva, Cultoris peramoena docti

consita cura!

Ipsa dulcentis citharae sonoras

10 prendere arguto calamo docebat

chordulas nostros digitos sub umbra,

Silvula, vestra.

Te canent nostrae viridem Camoenae;

Liberi fructu celebrata vives.

15 Cresce sublimis, ferienda numquam,

Silva, securi!

Rajmund Kunić

Epigrammata

Quid sibi propositum habeat in satyra scribenda

Humanas narro, vidi quascumque, libellis

Ipse meis, verso nomine, stultitias.

Sic famae parcens alienae, promere suevi

Quae nequeo tacito clausa tenere sinu.

Sic mihi ego prosum, saeculis prodesse futuris

Sic forsitan possum, certe equidem studeo.

Ad Quintum omnes fastidientem

Nemo placet tibi, Quinte, vicem sic reddis,

opinor,

Quinte, parem cunctis, queis nihil ipse
places.

In Quintum animo semper amoris causa suspensio

Quintus abest longe, nec possum dicere

quonam

Fugerit; hoc possum dicere: Quintus abest.

Membra quidem hic video; qua mens in parte
vagetur

Scit saevus miserum qui male vexat amor.

In contemptorem styli cultioris

Obscurum dicis, quod non intelligis, Aule;

Sic caecos media nox premit alta die.

*De futili Varii iudicio in recentibus cum veteribus
poetis comparandis*

Vare, novos vates priscis quod vatibus aequas,

Prodis nempe tuum futile iudicium,

Nec quos collaudas fatuis scriptoribus addis,

Sed tibi laudator detrahis omne decus.

Cur non flendus ab Acca uxore vir mortuus

Morte viri ne fle, miserum nec dicito. Non est,

Crede mihi, qui te fugerit, Acca, miser.

Si uxor domina, ergo mancipium vir

Nempe tuam uxorem dominam tu, Postume,
dicis.

Quid ni uxor dicat te tua mancipium?

In Glauciam interpellatorem

Cum Lyda veterum nactus me scripta
legentem

Non sentis, quam sis, Glaucia, utrique
gravis?

Esse gravem sentis vel si te, Glaucia, utrique,

Hic potes ingratas ducere, lente, moras?

Et longum torquere ambos? Tua plumbea dicta

Pro veterum et dictis oggerere aureolis?

Cede, malum, procul hinc, cede ocyus! Hosne
silere,

Hosne viros patiar, Glaucia, teque loqui?

De durissimis Quinti carminibus

Aerato scribis calamo tua carmina, Quinte,

Carmina sed calamo sunt mage dura tuo.

*In scriptorum Graecorum ac Latinorum
contemptorem*

Qui Grajos spernis scriptores atque Latinos,

Quid rerum scribas quaerere, Cinna, piget.

Scire sat est, quaequae scribas gravitate Latina

Scilicet ac Grajo cuncta carere sale.

*In malum scriptorem, qui mirabatur a poeta decies
Flaccum lectum fuisse*

Miraris decies Flacci quod scripta relegi?
Miror ego legi quod tua scripta semel.

In praedicantem omnia se mire facturum, si velit
Nil se non mire facturum jactitat Aulus,
Si faceret: verum nil facit interea.
Quid possit, nescit; credit posse omnia,
quorum,
Expertus, credo, crederet ille nihil.

Contemptorem contemnit
Cinna, tibi patior sperni mea carmina, sperni
Dum mihi iudicium tu patiare tuum.

De Aulo omnia ad numerum faciente
Nil non ad numerum facit Aulus, nil sine lege.
Ad normam incedit, stat, sedet, eloquitur.
Non sentit se, quod vult omni ex parte decere,
Idcirco haud quidquam sic facere, ut deceat.

Ad poetam versibus foeda tractantem
Dulcis amice, istaec odi tua carmina, foedam
Queis tractas ventris proluviem et crepitus.
Non pudet in turpi mentem versare latrina?
In merdis famam quaerere et ingenii?
Crede mihi, tandem scurrari desine, tandem
Quae deceant vatem verbaque, resque vide.
Ne tantum vili placeant tua scripta popello,
Coetibus ingenuis at male displiceant.

Ad Ursum foeda versibus canentem
Grandia qui magni vates cecinere, solemus
Nimirum vates dicere grandiloquos.
Dulcia qui modici vates cecinere, solemus
Nimirum vates dicere dulciloquos.
Quid si quis merdas humilis canit, ut facis,

Urse?
Nonne decet vatem dicere merdiloquum?

In fatuum Petrarchae carminum contemptorem
Petrarcham torpere gelu; te ardere, Lycota,
Quo Phoebus vates concitat, igne putas?
Cujus ego soleo fatuos ridere furores,
Verborum et vanam spernere luxuriem,
Quem, mage quo passim succendere cuncta
putas tu,
Hoc mage consuevi dicere frigidulum,
Et pictae similem flammae, quae gliscere visa
Nec quemquam incendit, nec calet ipsa
tamen.
Talis Petrarcham spernas? Cui dulce canenti
Assurgunt Pindi e vertice Castalides,
Ardua quem celeri superantem nubila penna
Ipso stratus humi vix tu oculo sequeris.

In quemdam Horatiani carminis reprehensorem
Tantillus tantum haud dubitas reprehendere
vatem,
Et Flacci carmen dicere frigidulum?
Nec metus est, Pindi sacro de vertice Musae
Ne te furcillis praecipitem ejiciant?
Nec metus est, odio dignus, dignusque
cachinnis
Alter ne dici Zoilus incipias?
Crede mihi, magnum tacitus mirare poetam,
Neu cycni cantum gracculus obstrepito.

In Quintum. Quare Leonilla secum officiosa sit
Quod coetu in magno venienti occurrit amice,
Quod solita est omnes dicere delicias,
Quod dextram dextrae jungit, quod blanda
tuetur,
Quod prope complexu te, Leonilla, fovet;
Haec debes foedae, si nescis, Quinte, senectae.
Non faceret juveni quae facit illa seni.

De Lydae in summis laudibus modestia

Lyda potest omnes, quotquot sunt, ore puellas,
Lyda potest omnes vincere mente viros.
Sponte sua gaudet sed cedere Lyda puellis,
Sponte sua gaudet cedere Lyda viris.
Ergo illam, quoties vicit, victaeque puellae,
Et victi certant semper amare viri.

De Lydae in virtute constantia

Qualis Lyda die primo est mihi cognita, multas
Talem post messes, atque hyemes video.
Foemina, quod rebar fieri vix posse, virorum
Nullum constanti non animo aequiparat.
Ingenio et stabili mire omnes una refutat,
Queis leve foemineum dicitur esse genus.

De Lydae iudicio in probandis carminibus

Lydium ut ad lapidem spectato fidimus auro,
Fido ego carminibus quae tibi, Lyda,
placent:
Quid deceat, quid non, mire nam cernis,
acutum,
Quidquid inest vitii, nec latet ingenium,
Ut quaecumque probas queat ipsa probasse,
videtur
Verax Phoebaeo Pythia de tripode.

De Lydae eadem iterum narrantis lepore

Fabula, cum primo narrasti, grata; secundo
Cum narras, eadem est fabula grata tamen.
Non res delectat mentem nova, sed tuus iste,
Iste tuus fantis, Lyda venusta, lepos.
Qui dum aderit, narra quidvis iterumque,
iterumque:
Dicta queo decies dicta putare semel.

Adveniente rus Lyda

Ridet ager, subita capti dulcedine ludunt
Passim lanigeri lata per arva greges,
Laeta magis viridi late se gramine vestit,

Laeta magis vario flore renidet humus,
Laeta magis placidi circum fremit aura Favoni,
Laeta magis puro fulget ab axe dies.
Fallor an huc venit? ... non fallor: rura beata
Venit ad haec fausto jam mea Lyda pede.

Ad Lydam. Quae sit in scribendo novitas

Lyda, putas nihil esse novum quod scribimus.
Aedem
Sic etiam nullam dixeris esse novam.
Quippe etenim ut struimus veterum nos dicta
virorum,
Sic fabri antiquos cura struit lapides.
Quo fit: opus vetus est, operi nova forma
novumque
Ipsam etiam, formam cui dedit auctor,
opus.
Sic nova sunt, spero, mea carmina; sic novus
iste
Sermo est, suavidico qui fluit ore tibi.

Ad Lydam, Dantis carmina legentem

Carmina cui Dantis tam sunt jucunda, virile
Condis foeminea sub facie ingenium.
Non te deliciae verborum, sed capit alti
Vis animi, rerum mirifica et series,
Pictaque tam vero quae scribit cunq̄ colore,
Ipsis te jures cuncta videre oculis.
Et visu horrescas, doleas, laetere, sub imam
Aut terram, aut sedes rapta per aetherias;
Haec capiunt te, Lyda, viris, pol, digna placere.
Blandum aliae cupidis auribus excipiunt,
Et solum clamant vatem versantque leguntque,
Et memori condunt mente Metastasium.

Ad Lydam

Quam sis grata mihi, didici te, Lyda, carendo,
Ipsi nam sine te sum mihi, Lyda, gravis,
Et caris, qui me visunt, stipatus amicis
Desertus videor, solus et esse mihi,
Nec, mihi cum solus secreta in sede relinquor,

Aoniis possum corda levare modis,
Non mi grandiloqui divinum carmen Homeri,
Romanae scriptor non sapit Iliadis.
Una juvas praesens animum: te denique visa,
Laeta oritur multa luce serena dies,
Mens viget, effundo carmen, de vertice Pindi
Venerit ut subito si mea Calliope.

Se, Lyda moerente, non posse carmen scribere
Quid tacitum increpitas? Te moesta, Lyda,
putas me
Posse hilarem cantus fundere laetificos?
Non si me Asraeo Phoebus pater incitet igni,
Castalio et mergat Calliopea lacu.

Vati sola potes tu ad carmina subdere calcar;
Lyda tibi canto, Lyda tibi sileo.
Riseris ut primum, discusso turbine, cantus
Incipiet rursus haec mea Musa suos.

Qua re nolit diutius laudare Lydam
Multa equidem scripsi de te, Lyda optima;
praestat,
Nulla operae quando est gratia, desinere.
Omnia quae scripsi, veris majora putas tu,
Ast alii veris, Lyda, minora putant.
Sic, videor laudum quod prodigus et quod
avarus,
Atque tibi, atque aliis, heu, male displiceo.

Baltazar Adam Krčelić

De regnis Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae notitiae praeliminares

Regionum earundem varie nominandarum, et dividendarum, ratio, ex multis profluit. Praecipua existimo: diversitatem temporum; Rerumpublicarum conversionem: Scriptorum arbitrium: qui, vel eruditionis ambitione; vel ex incertis relationibus, ex ingenio suo, sine rerum examine, de remotis atque incognitis scribunt; et Sectatores ex praejudicio quopiam, nanciscuntur. Potissimum autem Regionum divisiones, ac nominum mutationes, ab eorum pendent arbitrio, quibus parent. Haec, in his Regionibus, (quarum amore, opus istud compilatum est) cum primis experimur. Venia profecto digni sunt exteri, dum errant in genuina, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae notitia. Domestici quam variant atque confundant, non est quod recenseam. Itaque dum Zagrabiensem Ecclesiam; quidam in Croatia; quidam in Sclavonia, in Pannonia alii, collocant, enatis hinc etiam, saepe discordiis; et dum Ecclesiae hujus sacra Jurisdictio, per varias et distinctas Regiones, olim, atque hodie extenderetur; de Regionibus his commentari volui, ut ita Pars haec Historiarum intelligi commodius valeat. Ex instituto de his disserere, pertinet ad civilem historiam, cujus, collectionem majorem haberemus, sub spe olim, hujus quoque a nobis edendae. Verum ita volentibus fati, curam hujus deposuimus: oramus nihilominus Cives Patriae, ut hanc, pro Reipublicae suae, Sacrae Regni Hungariae Coronae, Regisque sui, servandis legitimis ac justissimis juribus non negligant, praecipue; postquam necessitatem hujus, articuli illi omnes, qui, de rectificandis limitibus: Banorum autoritate etc. tanto numero, legibus Municipalibus inserti sunt: tot item saepenumero controversiae, exigere videntur. LEOPOLDUS Anno 1700. hujus fuerat studiosissimus, ut sua mandata Regia evincerent; aliud de XX. Die Novembris, anni 1700. aliud ex Castro Ebersdorff Die XV. Septembris 1701. expedita. Verum Caroli II. Hispaniae Regis, dein Leopoldi ipsius mors, Regios hos conatus, atque officium, interruperunt. Porro, ut Praeliminares hae memoriae, intelligantur commodius, per praecipuas Periodos, has reffere visum est. Sequimur pro viribus juxta gradus probabilitatis historicae Scriptores. Lapidum Inscriptiones pro confirmatione adjungimus, Numos item cusos Sisciae, ac his in oris erutos, quorum plures, RSS. D. Georgius Malenich de Kurilocz, Abbas infulatus S. Jacobi de Silisio, Lector Capituli et Canonicus Ecclesiae Zagrabiensis, pro eruditionis amore, ac studio utilitatis publicae, ad perennem sui memoriam, nobiscum amice communicavit. Per nos, visi, examinati, et tractati sunt.

Vice Petrović

In obitu uxoris, quae decessit 5. Non. Jul. ante horam 3. pomeridianam an. Sal. 1743. (3. Julij hora 19. paullo ante).

Elegia.

- Siccine dividimur, vita mihi carior Uxor.
Morte tua nostrum dissociante thorum?
Siccine me miserum, nunquam relictura,
relinquis
Me miserum, et Natos, pignora cara,
tuos?
5. Non te Bactra tenent, non me nunc ultima
Thule,
Longius est spatium, nos quod abesse
facit.
Nunc mihi, nunc cantum ventosque,
annesque morantem,
Nunc cuperem auditas Manibus esse
fides.
Non summo ut faciam quercus
descendere ab Aemo;
10. Aut stare immotas voce canentis aves.
Sed carae ut repetam fugientem conjugis
Umbram
Nunc prece, nunc cythara consociante
preces
Irem audax (amor ipse facem praeferret
eunti)
Plena tenebrarum per loca, plena metus.
15. Atque aliquis miserans maesta de gente
silentium,
Quos olim simili vulnere stravit amor,
- Ostendens procul Elysium, loca laeta
piorum,
"Quam petis, ille tenet", diceret, "ille
locus".
Non me, non novies Styx interfusa teneret
20. Viminea et novies trajicienda rate.
Non fera vipereo terreret crine Megaera,
Majestas Stygii non truculenta Jovis.
Forsan et ille pius lacrymas ad verba
precantis
Funderet, et reditum Conjugis annueret.
25. Quid loquor ah! demens? non est
revocabilis ultra,
Trasvecta est Stygios quae semel Umbra
lacus.
Non redit ad fontem, quae fontem deserit
unda,
Nec reflorescunt, quae cecidere, rosae.
Ergo, quod est miseris reliquum solumque
levamen,
30. Quo lever, heu! superest nil nisi flere
mihi,
Nil nisi flere meos, saevissima vulnera,
casus,
Dum cineri uxoris jungar et ipse cinis.
Vix afflicta Domus geminati insignia
luctus

Exuerat, madidas non bene sicca genas:
 35. Ecce cadit saevae jam tertia victima Morti
 Uxor, vulneribus victima caesa tribus.
 Non fuit illa tibi communi lege necanda,
 Impia Mors, plagis percutienda fuit.
 Cuncta tui in miseram consumpsti tela
 furoris,
 40. In sola haeserunt sed tua tela cute.
 Membra malis cessere, animus fuit altior
 illis,
 Tu fragilis victrix corporis, ille tui.
 Saepe opus igne fuit, ferroque; ullumne
 dolentis
 Inter eas poenas edidit illa sonum?
 45. Num viso extimuit ferro, ingemuitve
 recepto?
 Non patiens gemitum sed miser ipse
 dabam.
 Ah! chalybe immiti languentis caesa
 rigabat
 Membra cruor: lacrymis non maduere
 genae.
 Num, quando monita est, momenta
 novissima vitae
 50. Instare, et celeri jam properare gradu?
 Scilicet hos animos illi mens inscia noxae,
 Inque Deum pietas, et proba vita dabat,
 Hos amor in miseros, miseris intenta
 juvandis,
 Clausa sibi, reliquis semper aperta
 manus:
 55. Et vigil in Natos cura, et studium acre
 tuendae
 In nivea morum simplicitate domus:

Et tormenta per haec candentis atrociam
 ferri,
 Quae toties visa est sustinuisse libens,
 Posthuma vitandi tormenta, piantia
 Manes,
 60. Spes prope certa, sibi si qua pianda
 forent.
 Hos animos etiam illa dabant, quae
 pectore forti
 Ex gemina amissa vulnera prole tulit.
 O Superi, quantum vidit maeroris amari,
 Et quantum vidit roboris illa dies!
 65. Quae caruere genae lacrymis, et questibus
 ora?
 Fundere nec lacrymas visa, nec illa
 queri.
 Exuerat Matrem coram, Matrem intus
 agebat,
 Non se, sed miserum commiserata
 Virum.
 Dotibus his tantis quid nunc bona corporis
 addam?
 70. Quid cultum ingenuis artibus ingenium?
 Quid quam dulce melos manabat ab ore
 loquentis,
 In quo opifex mellis fecerat ipsa favos?
 Talem fata mihi rapuere, immitia fata,
 Consortem thalami, subsidiumque mei.
 75. Post duo dilectae crudelia funera prolis,
 Praesto illa, auxilium quae mihi ferret,
 erat.
 Tota videbatur gens esse superstes in illa
 Nullaque, ea salva, membra recisa
 Domus.

Nec me illa omnino miserum solante
 putabam,
 80. Illa levamen erat flentis, et illa comes.
 Decrescit siquidem fidas diffusus in aures
 Luctus, ut in rivos secta fit unda minor.
 Adde alios casus, et quae mala plurima
 passus,
 Insontem invidiae vi superante, fui:
 85. Nunc mihi fraude mala jus libertatis
 ademptum,
 Nunc raptae, parcus quas dabat usus,
 opes.
 Dum tu aderas, uxor, felix dicebar,
 eramque,
 Nil nocuit telis sors mihi saeva suis.
 Vim mala perdebant in dulci conjugis ore,
 90. Et quam tu, poterant aspera fata minus.
 Cui querar infelix? cui nunc mea tristia
 dicam?
 Quae lacrymas posthac terget amica
 manus?
 Cuncta, illa rapta, rapuit manus invida
 Parcae,
 Unde afflictata malis mens capiebat opem.
 95. Nec, quia ter denos mecum una exegerit
 annos
 Est mihi, ceu sero rapta, dolenda minus.
 Ah! magis illa ligant, quorum est
 diuturnior usus,
 Et plus, quae plus sunt nexa, dirempta
 dolent.
 Sic tener, ac mollis ramo si ramus
 adhaesit,
 100. Disjungas facili vincla novella manu.

Frangitur annosus, vel vix victusque
 gemensque
 Alter ab amplexu solvitur alterius.
 Nullaque sat longa est, quae desinit esse
 voluptas,
 Et nulla est magno longa in amore mora.
 105. Longa mora est tali mihi nunc uxore
 carenti,
 Omnis mense dies longior, hora die est.
 Quid moror ergo miser? cur non invisam
 relinquo
 Lumina? cur te non, o mea vita, sequor?
 Tu mihi dicebas, sine me nil dulce
 futurum,
 110. Non si ipsum flueret nectar in ora, tibi.
 Quo sola ergo fugis, comitem asperrata
 maritum?
 In rapidos abeunt cur tua dicta Notos?
 Sed non sola fugis: me tecum, ubicumque
 moraris,
 Qui bene nos junxit, vivere cogit amor.
 115. Una mei pars tecum abiit, minor altera
 mecum est,
 Pars abiit melior, plena dolore manet.
 Ast haec ipsa brevi tua post vestigia
 curret,
 A majore nequit pars procul esse minor.
 O volet illa dies, quae partes uniat ambas,
 120. Meque addat comitem tempus in omne
 tibi!
 Mors tua divisit, mea nos conjungat, et
 urna
 Consociet, thalamus quos sociare nequit.

Junije Rastić

Satyrae

Peregrinantes

Haec quoque stultitiae accessit pars magna recenti,
Maecenas, longo et radices egit ab usu,
Imberbes pueri quod vix custode remoto
Trans mare mittuntur, multasque jubentur adire
Gentes, et peregre multas errare per urbes.
Nempe ubi vix Sophiae, atque opera est navata Mathesi,
Lineolaeque omnes, numerique, et calculi, et omnis
Formula ubi aequandi percursa est, atque ubi abunde
Barbara verborum est, atque importuna supellex
Collecta ad speciem, et linguae mandata volucris;
Ocyus implumis Sophiae de nidulo alumnus
Evolat, et caelum sublimi vertice tangit,
Materna in pluma, et Laribus si forte paternis
Doctorum repetendo imitetur verba Sophorum,
Radices, blateransque cubos, quadrata rotundis
Miscens, cumque acido et fixo gas aere jactans.
Psittacus humanas sic reddit gutture voces,
Et nostro infelix laudatur Simia gestu.

...

Omnia quippe redux haec nostra fefellit alumnus
Auspicia, et monitus praeceps elusit inanes,
Nonne vides, quae illi circumdet fascia collum,
Comprimat elisas quantoque volumine fauces?
Et longum involvat mentum: propera, atque Machaon,
Si quis ades, fer opem: jugulum nam angina misello
Praefocat: velit hac quis bellulus arte videri?
Aspice ab auriculis ad malas usque genasque
Hispida tonsoris digitos ut barba refugit:
Cetera pars rasa est, vel vulsa, aequataque vitro.
Dimidio et verpus vultu procedit alumnus

Judaei in morem, Solymis quem denique jussit
Vana superstitio vitae male facta piare.
Trajecto ingenuas auro quis perforat aures?
Caribus atque Syris olim venalia signa
Haec fuerant domino imposita a mangone sub hasta:
Nunc tu servilem circumfers laetus honorem.
Caesaries cur nulla caput componit honestum?
Tonsa coma est: serviliter hoc quoque: vertice raso.
Fallimur hic, magno hercle et fallimur intervallo!
Nunc forma nova forma datur: datur altera pulcri
Nunc species. Est haec hirto coma curta capillo
Docti opus artificis, cui non vulgare ciniflo
Quisquam de trivio studium, impenditque laborem.
Ille igni domuit crines, et finxit acu, ille
Crispavit, temereque dedit sine lege vagari,
Ille superfuso madefecit nectare citri.
Dextra manus duro moderatur robore clavam,
Gestamen, Polypheme, tuum, exuviasque latronum!
Quod si forte illam, qua Sequana labitur, urbem
Galligenas inter cupidis tantisper ocellis
Vidit, Sequanicoque ocreas si tingere coeno
Forte datum est, tunc ex omni jam parte beatus
Nugacis populi pueriles spongia mores
Combibit, atque refert primores veste cinaedos.
Ridiculus duplicem stupa confringere gibbum,
Atque soloecismos patria intorquere loquela
Undique quaesitos, patriisque innectere verbis
Murmure barbarico voces, et inhospita dicta
Nescio quid blaterans stridens discors et acutum,
Quale manu resonant tironum exercita plectra
Nocturnique gemunt feles per tecta domorum.
Curta toga est etiam: summo toga poplite nodos
Vix aequat, femorisque decus juvenile recludit.
Pro tunica incipiunt longae ipso a pectore bracae
Demissae ad suram, talos et ad usque reductae.

In bracis belle puerili exercita ludo
Laeva latet clam, et odoratum bibit uncta teporem.
Denique in argento argutus pede calceus haeret,
Vel geminum crus nigra brevi tegit ocrea aluta.
Non visu horridior, non villis foedior atris,
Promissa barba, nodosae stipite clavae,
Crinibus impexis horrendo egressus ab antro
Semifer Ausonios Cacus terrebat agrestes.
Nullus et a gelida quondam deformior Arcto
Barbarus Italicas miles vastaverat urbes.
Hi tamen arrident cultus: atque hac sine veste
Nemo placet sibi: sunt ista nunc arte cinaedi.

Apologia

Quale malum nostris timeas a versibus, ede.
Anne ego forte meis aliquid si illevero chartis,
Illico libertas periit, venitque repente
Annibal ad portas? Voltaeri frigida scripta,
Putidulamque novae si dixi fabulam Elisae,
Cur mihi Maeviolus, quaeso, Baviusque poetae
Indignantur? inepta malorum ego carmina vatum
Helleboro potius, Satyris quam digna putavi.
Inde poetarum omnino de laude silemus.
Insano speravi insanos parcere frustra.
Hoc tamen invitis, adimant si cetera, certe
Extorquebo, meo nimirum carmine laedi
Neminem, ab hoc siquidem quia nigra calumnia longe
Exulat, et vitae nota nulla alicujus inusta est.
Dicere de rebus, personis parcere certum est.
...
Si res ipsa minus tibi, vel quia parva, probatur,
Vel bona materies Satyra quod tangitur acri
Immerito, laudari, aut certe digna sileri,
Nescio quid tibi nunc oculos male fascinat aegros.
Stultitiae ante aram cum tot curamus inepta,

Atque in tonstrinis Europes fata movemus,
Cum peregrinamur nihilo sapientius, ac si
Vere grues validis tranarint aera pennis,
Absurde cum philosophamur, et esse videri
Cum volumus docti, sed pravi intus, vel inertes,
Haec tu parva putas? Musae his decernis honorem?
Et tamen his vitae totius vertitur error.
Cum legit historias Pholoe peccare docentes,
Cum scribit Claudina, Lycoris flava disertum
Vatem cum alloquitur, vitro cum Phyllis et Aegle
Illacrimant; cum vana viris, et vana puellis
Vita agitur, salse et possim ridere facete,
Hos intra donec video consistere fines.
Distat enim Veneri Attica disciplina Platonis,
Publicaque est adeo, atque omnino criminis expers,
Officiosa jocos init, et ridetur honeste.
Nil tamen utilius ridebis, tum quia sensim
In Venerem ducet, quaeque est nunc Phyllis, et Aegle,
Lesbia paulatim fiet, Saufeja, Lycisca.
Tunc vero non ulla domus, non ulla mariti
Cura subest: faciunt eadem, curantque mariti.
Et nati, a teneris quae hausere, exempla sequuntur.
Dic, ubi mater, ubi hic genitor, vir, filius, uxor?
Desipit hic, toto hic disconvenit ordine vita.
Et domus infelix domini ruit in caput. Heus tu
Tunc Satyris incumbere, eversaue Pergama serva.
Dum vana exercet stultam socordia vitam,
Femineisque viros temere sedisse cathedris,
Femineasque juvat meditari et volvere nugas,
Dum celebrat coetus omnis matrona viriles,
Mutua dum sexus contagia spargit uterque,
Dum sapiunt solum minimis dare pondera rebus,
Artibus ingenuis quantum decedere censes,
Quantum doctrinae? Cui publica commoda, leges
Cui curentur, amicorumque negotia? Inerti

Quis ferat avelli mollis se ad seria lusu?
Perdendi nummos peregre, scabiemque ferendi,
Atque peregrino studium femoralia cinctu
Quem tenet, hic morbo pariter concedet eodem.
Si mansisset Cotta domi, tu, Villice noster,
Non herbam audisses solarem, et terrea poma.

Pavao Ritter Vitezović

Anagrammaton liber

Beatissimae Virgini, DEI Genetrici gloriosissimae, Patronae Regni Hungariae

PROGRAMMA: *Diva Mater Maria, Regni Hungariae Patrona*

ANAGRAMMA: *Aj; non Marte diu patiar mea regna gravari*

Aspice, Apostolici Patrona piissima Regni
Virgo Deoque ipsa Virginitate parens.
Aspice materno Coeli de culmine vultu:
Quae populum rabies, quae tua jura premit.
Aj; non Marte diu patiar mea regna gravari;
Patronae officio, munere Matris age.
Ut, qui Marte fero premimur, te Matre levemur:
Materni est proprium muneris esse piam.

Divo STEPHANO, Regi et Apostolo Hungariae

PROGRAMMA: *Stephanus, Rex Hungariae*

ANAGRAMMA: *Exurgens tuearis phana*

Surge in barbaricum, Stephane, o Rex dive, furorem:
Qui reddit Regna, Phana profana tui.
Indutus sanctis justam pro viribus iram,
Discute Threiciae nubila dira luis.
Et summo sacrata Jovi sacrataque divis,
Et sacrata tibi *phana tuere* potens.
Principis in terris qui justa gubernia sensit,
Patroni in Coelis sentiat Hunnus opem.

Divo LADISLAO, Regi Hungariae

PROGRAMMA: *Ladislaus, Rex Hungariae*

ANAGRAMMA: *Salva aras Dei, Lux Regni*

Lux Regum Regnique tui, Ladislave, corusca:
Verte in Pannonicum lumina diva statum.
Templa arasque Deo Domino sacrata Deorum
In tibi subjecta polluit hostis humo.
Surge *arasque Dei, Regni* tua juraque *salva;*
Regis id officium est, id pietatis opus.
Quod fueras gladio tuitus rex ante: Patronus
In Coelo valida jam tueare prece.

INNOCENTIO XI. Pontifici Maximo Optimo

PROGRAMMA: *Innocentius*

ANAGRAMMA: *Non vincetis*

Invanum Boreas rigide conspirat et Eurus,
Et fallax Zephyrus, plenus et imbre Notus,
Ut possent sacram Petro subvertere cymbam:
Quae salva in tanto navigat alta salo.
Hanc *non vincetis* millena pericula cymbam:
Frustra, ventorum turba proterva, furis.
Militat innocuis Coelum; me tuta Magistro
Ipsa pericla ibit per peritura ratis.

LEOPOLDO, Romanorum Imperatori, semper Augusto, Regi, Domino suo clementissimo


PROGRAMMA: *Leopoldus primus*

ANAGRAMMA: *Rumpe lupis dolos*

Quod non vi faciunt, quod non crudelibus armis,
In nos Threicii, gens scelerata, lupi,
Postposito cum lege Dei salvante timore,
Id patrant Stygiis fraudibus atque dolis.
Christi dogma sequens, quod in ipso nuper ovili
Vix a dente lupi tuta fuisset ovis.
Tu modo, quem pro se Rex Regum summus in Orbem
Misit, *rumpe* illis corda *dolosa lupis*.
Ut tali regnis, duce te, feritate solutis,
Tuto Christicolae rure fruantur oves.



ILLYRICUM.




Candida, juncta Jovi, stat campo Luna rubente:
Fortunæ & fidei viva figura meæ.
Candidus est animus, genius quoq; grandibus aptus:
Sed varia summum stat mihi forte bonam.

A

IM-

CROATIA.



Candidus & rubeus color hoc variatur in agro,
 Invitans fortes ad mea fata vagas,
 Scilicet hic jacitur dubii alea sæpè Gradivi;
 Vulneror: at nullo vulnere candor abit.

CHUL.

DALMATIA.



Trima coronati mihi colla dedere Leones :
 Cæruleo hæc scuto triquetra forma locat,
 Perfectus numerus fert majestatis honores ;
 Et Maris ac Cœli , maxima quæque, color.

C 2

DAR-

ISTRIA.




Portubus & pratis & saltibus Istria dives,
Lactiferis tellus apta & amata Capris.
Dura licet villo neget uber pingue Capella:
Cornua prendenti lac dabit, atque cutem.

D

LI-

RAGUSA.




Altera in Adriacis Ragusa Urbs libera terris
 Fundit per campum flumina trina rubrum.
 Sed ne clara malo turbentur flumina ductu,
 Mente novum quovis eligit illa Ducem.

E 2

RA.

SLAVONIA *moderna.*



Mars mihi fydus adest : feraq; , inter flumina, Martes ;
 In mèdio scuto Martius estq; color.
 Scilicet hoc Regnum, geminus quod terminat amnis,
 Mavorti factum læpiùs ara fuit.

STI.

ILLYRIDIS, cujus vetustum nomen tot Regnis et Provinciis Romana quondam Monarchia praefecit, Insigne refert Lunae Jovisque albarum in Campo rubeo stellarum conjunctio. In Symbolis Luna Populum significat, et Jupiter ab Astrophilis fortuna major vocatur. Cujus praecipuo sive (ut ajunt) diurno signo ipsa regio subjecta est. Haec conjunctio, juxta Ptolomaeum et alios, inclinatur ad religionem: dat optimam valetudinem, vitaeque diuturnitatem. His beneficis influentiis potiuntur Illyrides; erga DEUM pietate, Principem fide, amore proximum, erga omnes sinceritate laudabiles; ingeniosi, sani, proceri, fortes, honesti, et quorum multi decem, nonnulli duodecim, alli et plura vitae lustra, hac etiam tempestate vidimus transigere.

CROATIA, scutum habet in quatuordecim plagas, rubeas albis intermixtas, recte partitum, Abaco, sive tabulae lusoriae formam repraesentans in totidem partes dividendae, potens olim factorum indicium. Matthias Panoniae Rex, tam in majori suo duplicique Sigillo, quam lapideis monumentis (quorum nonnulla etiam in Croatia Maritima extant) pro Regni hujus tessera, sola regia Corona usus fuit: sub qua caeteras illius partes, ex Banatus Zupaniatusque officiis regum honorem consecutas, comprehendebat: uti Ramam, Bosnam, Serbliam, Rassiam, nec non Bulgariam. Idque probabili conjectura in honorem Ladislavi Sancti eum fecisse opinari licet; per quem Indigenam, de Goricza oriundum, Regnum illud Ungaricae Coronae accedere coepit. Cujus familiarem alam et plumatam galeam, regiam ob dignitatem, in Coronam Ungari mutaverunt. Uti, aureis Successorum nummis, dicti Sancti regis effigies, impressa, verificat. Tum quia et Ostoja Kristich, Bosnae Rex, sola Corona Insigne sui regiminis exprimebat. Hujusque Successorem et cognatum Thomam, ob amicitiam et fraternitatem cum Mahomette II. Matthias strangulari fecit: vectigalis Provinciae regimen tutamenque ipse habiturus. Et cum Bosna, respectu Albae Rubeaeque Croatiae in medio pene sita est: eorundemque Regum Coronam ad reintegrandae Croatiae (in tot Regna a sesqui saeculo discerptae, Regibusque jam privatae) typum servavit; Bosnae titulo uti non dignatus. Nam et sicut communi Ungariae, Dalmatiae, Croatiaeque Regis titulo utebatur; ita, circa scutum Pannoniae Insignium, hinc Ungariae Crucem, et Dalmatiae Leonina capita: illinc ipsam Coronam Croatiae: et Lupum Cumaniae, caeterarum Daciae Scythiaeque sui Provinciarum emblemata figurabat: gentilitiis duobus stemmatibus infra positus.

DALMATIA, tribus Leonum capitibus in coeruleo scuto coronatis, bravium suae nobilitatis, reliquit; Viris virium et ingenii valore potentibus clara: Illyrici, Liburniaeque olim pars. Quam Dionysius Afer "Martiorum solum Virorum" appellavit. Postea in tres Provincias, Ramam, Chulmiam, et Hercegoviam partita, pro Leoninis capitibus Martialia tela sumpsit.

ISTRIA Scuto caelestino campoque viridi Capram assumpsit, stemma Principis ultimo deficientis. Quidam Histricem ei appropriant in purpureo campo: unde probabiliter et Histria est appellata. Capra in symbolis, pacifici, benigni, mansueti animi idea est: lacte quam lana nobilior; Insignia tamen parum nobilitans: minus vero Histrix; nam "...os longius illi assimilatur porcum" inquit Claudianus.

RAGUSA, tres fluvios rectos albos in campum rubeum assumsit; Quot videlicet e sui territorio in Adriam pelagus effundit. Fluvius cum bonorum affluentiae, tum justitiae juriumque suorum conservationis Symbolum est; qui licet alveo contortus e proprio tramite nunquam deflectit. Ea unica sub hanc tempestatem Respublica in Ora Maris Adriaci post Venetam, sui juris permansit: quod menstruali novi Principis electione, sartum tectum conservare studet.

SLAVONIA moderna, Interamnia Croatiae pars, cum ab antiquo pro Armorum decore Mardurem animal habuerit, a Vladislavo Rege duobus fluminibus, scutum trifariam secantibus, Martisque sydere, ulterius donata est. Media scuti pars, in qua Mardes concipitur, est rubea: extremae duo coeruleae; in quarum suprema sydus micat. Flumina Savum et Dravum, quibus terminatur: Mardes et Mars, per continuum belli studium, insignis gloriae bravium meritam denotant. Antiqua Regni hujus moneta ex una facie nummi ostendit eundem Mardurem inter duras Rosas: ex altera Regem et Reginam coronatos, Crucem duplicem intuentes, a pectore effigiatos: ac supra Crucem Lunam et stellam. Haec ipsa Crux a Successoribus Divi Ladislavi in Ungarici Regni tessaram conversa est; per quem et Regio Coronae unita: quibus deinde Mardurinarum dicto censu tenebatur.

Plorantis Croatiae saecula duo I, 1-111

Dij, quibus est hominum rerumque suprema potestas,
Et nihil occultum: quorum solo omnia nutu
Principium et finem capiunt; sine numine vestro
Nec spirat mortalis homo; quo crimine laesos
Infelix tantas Hörvathia movit in iras;
Quòd nec Bellorum nec Pacis tempore digna
Solamen sentire fuit? Date (quaeso) benigni
Postremos saltèm posse enumerare dolores,
Quos lacrymae lenire solent; toleratiùs inde
Aerumnas ventura suas ut perferat aetas:
Aut forsàn vestro felicior illa favore,
Quanto majorum fuerit servata labore?
Prospiciat sic docta. juvat meminisse malorum.
Non revoco lacrymas, quibus olim saepius auxili:
Danubium, Dravum, Savum, Kuppam atque Naronem
Dum me Romanus peteret dùm Sarmata, tecta
Comburens flammis, et campos caedibus opplens:
Exitio vicina meo; contenta recentes
Fatorum plorare vices: postrema duorum
Sęclorum memoranda gemam mea vulnera: lenit
Longa aetas veterem, praesens dolor acriùs urit.
Postquam nostra jugo captivum Bossnia Turco
Submisit collum, Regum damnata suorum
Seditione magis quàm Thraci marte coacta,
In me Oriens ruit omne malum, quo tristior olim
Vix fuit Illyricis gelidus Septentrio regnis:
Perpetuo Thrax namque jugo crudelis, avarus,
Subdita colla premit: tantòque superbior ausu
Inflatur tumido, quantò vel blandior illi
Arridet fortuna, magis vel supplicat hostis:
Ne quocunque modo sese neget esse tyrannum.
Primam Thrëicii Belli vim Jajcia sensit:

Sic ab ovi formam tumulo referente vocata,
 In quo structa jacet: varias experta Gradivi
 Saepè vices: ùt quae patriis est janua campis
 Ad montes Usorae et Pini: quejs Bossna reclusa
 Tvyrtkoni primùm regales fecit honores.
 Hoc etenim castrum cum Thrax mihi fortis ademit
 Scabrosum scopulis Valdanum liber adivit,
 Et Savum ac Colapim sinuosos. Corbaviamque,
 Antiquis claram Corybantum nomine, vastat,
 Quae tribuit nostrae de se cognomina genti.
 Japidiam antiquam crebro populatur: ut Unnam,
 Valdanum priscis, Savanosque et Colapinos
 Saepiùs infestus vexavit. tristiùs at tunc
 Quando Derençinus praedam erepturus in agris
 Corbaviae infelix pugnat cum Jakupe Turco,
 Et flore amisso totius nobilitatis
 Captivum sese victori praebuit hosti. A. Ch. 1501.
 Spem non exiguam prima mihi fronte spopondit
 Sedenum saeclum Christi nascentis ab ortu
 Quod pia connumero; Vladislavi namque regentis
 Pannonias, contra Venetos quas moverat, iras
 Praesul Alexander sanctè placavit, et arma
 Threicium versùs impendere svaserat hostem,
 Praeside Corvino, nostro Prorege, Joanne,
 Matthiae Regis nato; belloque parabat
 Subsidium Praesul, Venetosque ligarat ad illud
 Duplo praestandum majus. jàmque arma parabam
 Exitio Turcis. Sed sors inversa meorum
 Frustravit pia vota Ducum, pia vota juventae;
 Defuerat bello conducta pecunia nervus.
 Sic etiam Reges falluntur? et odia passim
 Evertunt privata bonum commune? quod ipsum
 In tacitas (video, Coeli!) vos provocat iras. 1502.
 Contremuit tellus, àc si ventura videret
 Fata meis nocitura bonis. quo nempe tremore

Multa suas fuerant domicilia passa ruinas;
 Corruit et divi turris campanea Marci
 Slavniae in urbe, vocant quam Graeci nomine Montis;
 Ut nec firma solo videar, nec ab aethere tuta. 1504.
 Vix pono tristes nuperna strage dolores,
 Cùm mox custodem mihi limitis obsidet arcem
 Jajciacam Turcus, qua jàm fuit ante repulsus.
 Invasit miseram non vanus terror; ab inde
 Summa mali facilisque via est, metuenda Croatis:
 Praecipuum captiva petit qua Bossnia passum
 In mea regna, suo pòst aggredienda tyranno.
 Corvinum cum pube mea succurrere Jajci
 Expedio celerem; Dux hostem aggressus et arci,
 Decertans pugna prosternit millia quatuor,
 Caetera profligans Jajcensem liberat urbem:
 Ast et natorum ceciderunt mille meorum;
 Dulcis amor patriae, merito praestantior isto
 Eminent: hac tegimus natos hac sorte parentes.
 Vix solvo exequias, et membra exangvia terrae
 Condo: novas Turcae clades nova damna minantur
 In mea continuò plùs et plùs jura volando,
 Vastantes Posegae et Vulkovarensia rura;
 Scilicet vnde suis primùm deserta colonis
 Conatu levioe queant pòst capta tenere.
 Hos quoque Corvini virtus profligat et amni
 Non paucos mergit Savo. Sed prò invida Parca
 Hoc mihi praesidium de vivis prorsus ademit:
 Ut pòst ultrò meae serpant sine lege ruinae,
 Nec me jàm praesens defendat acinace Princeps,
 Quo praesente alacris volat ad certamina miles. 1511.
 Cyrvicae mons est, nomen de vermibus hausit:
 Pauca hìc pugnabat cum Turcis turba meorum
 Et fato adverso; nam letho et sanguine multo
 Nobilitavit humum, despectaque nomina montis
 Erexit, praebens avibus se et vermibus escam. 1512.

Jamque à divitiis arx Blagaj dicta, Georgi
Ursini Comitis, cessit captiva tyranno,
Ad Sanam à Bano Babonigo condita quondàm:
Divitiis mala signa meis! Annoque sequenti
Excurrit Turcus Dubicensia rura superbus
Et praedas jàm victor agit, potiturus iisdem,
Ni Berislav Prorex hostem invasisset, et ipsum
Fudisset ferro, rapidis mersisset et undis;
Latronem nam praeda ingens et culpa gravabat.

1513.

Benedikt Rogačić

De terraemotu, quo Epidaurus in Dalmatia an. MDCLXVII prostrata est, proseucticon

Inclite Regnantum, quo Lidia scepra tenente
Per populos laevam funestis cladibus ire
Fortunam haud querimur; quidquid temeraria namque
Illius incurso caeco violentia vertit,
Hoc tua res duras indignaque fata jacentum 5
Commiserans veteri Pietas in sede reponit.
Non secus, ac diro metuendum gentibus astro
Saturnum, Jovis excusat clementior ignis,
Et tristes radios acuentem in fulmina cogit,
Commodiore Venus flammâ mitescere Martem. 10
Nec modo munificus generosi hic pectoris ardor
Quas regit imperio gentes complectitur: exit
Latius, et manibus cum sole per omnia sparsis
Terrarum spatia, et marium, queis regia jura
Non reddit, populis, gaudet regalia dona 15
Mittere, quam titulis, meritis ingentior, et se
Dignum orbis probat imperio, dum consulit orbi.
Atque hoc Mediceae senos insignia gentis
Crediderim signare globos, Hetruria quamvis
Sufficiat sceptris, pietati angusta videri 20
Unius, immensi quamvis Pomaeria mundi:
Nec Macedum Regem victricia signa per orbem
Transque orbem magis extendisse capacia vota,
Cosmus magnanimum Heroum quam maximus Heros
Proferat egregias curas, et vota juvandi. 25
Fleverit extremo oceani se limite claudi
Vesanus juvenis, nec posse aperire triumphis
Quotquot Democriti sapientia cuderat orbis;
Hic contra sibi deesse locum, queriturque, creandis

Non quos invadat ferro, at quos vindicet auro 30
 Defficientem operum naturam parcere, mundis.
 Quod si, ceu perhibent sapientum pectora, primus
 Naturam informem confusaque semina rerum
 In speciem digessit Amor, rudibusque figuram
 Concilians, dispersa ligans, male juncta resolvens, 35
 Omnibus et formam reddens atque omnia Formae,
 Jussit hanc rerum pulchram coalescere molem;
 Qui tibi magnanimo, Princeps, sub pectore vivit
 Ornandi meritos donis, inopesque fovendi,
 Nec spatio finibus amor, neque fessus agendo, 40
 Dignus erat certe naturam augere, Chaoque,
 Si quis adhuc latet, eruere, et disponere mundum.
 Verum age: nil opus est tam longe accersere magnis
 Materiem meritis: adverso in littore surgit
 (Quid loquor? Ah quondam, dum fata Deusque tulere, 45
 Surgebat) maris Illiricas Epidaurus ad undas:
 Urbs opibus, famaue ingens, contexere Pontum
 Classibus, inque omnes commercia spargere gentes,
 Nec minus ubertate soli, partuque virorum
 Laeta, sui juris, nullique obnoxia sceptro. 50
 Nunc vero (heu nulla invitis fiducia Divis!)
 Turbine praecipiti labefacta, suisque sepulta
 Ruderibus, spectaculum ipsis miserabile visu
 Hostibus, immundo porrecta in pulvere sordet:
 Et quoties fessum caelo caput, aegraque tollens 55
 Lumina, tranquilla pelagi prospexit in undâ
 Degenerem formam, et violati signa decoris,
 Lucem odit, nimiumque levi cecidisse ruinâ
 Conqueritur demens, et fata novissima poscit.
 Scilicet instabili subsultans cardine tellus 60
 (Seu meditatus iter Caelo vulcanius ardor

Impulit adversos obices: seu longa vetustas
Speluncas subter topis pendentibus altas
Cum sonitu dedit in praeceps: seu spiritus omnem
Pervolitans naturam, alteque in membra receptas 65
Injustas furias rapido concepit ab aestu;
Seu caeli vis illa fuit) concussit ab imo
Impositas moles caeloque minantia vertens
Jussit in antiquum gremium descendere saxa.
Nec mora: deficiente solo, subducta labare 70
Fundamenta, quati turres, ruere ardua pessum
Culmina, juncturae lapidum, et male fida resolvi
Tectorum coagmenta: It caelo pulveris atri
Jurata ardentem nubes extinguere Solem;
Urbsque diesque una pereunt. Confusus ad astra 75
Luctisono gemitu, atque immensae murmure stragis
Erigitur fragor: et potuisti tu quoque forsan,
Magnanime o Princeps, solio sublimis ab alto
Immanem nostrae sonitum exaudire ruinae.
Quo sonitu attoniti fugere a littore fluctus 80
Quaeque leves choreas tunc forte in gurgite summo
Ducebant ludo Iliricae Nereides, imas
Auribus oclluis, trepidae absiliere sub undas.
Ipse etiam strepitum advertens Neptunus ab alto
Ingemuit pater, et carae ne cerneret urbis 85
Infandum excidium, medio caput aequore mersit.
Proh superi! quae tunc nobis (horresco revolvens
[Nec sola sat firma, et rursus trepidare videntur]
Omnia) deprensus tantâ in vertigine rerum
Mens, animusque fuit! Capiti labentia tecta
Exitium crudele ferunt: rimosa fatiscit 90
Sub pedibus tellus: pavidas fragor attonat aures
Lucem oculis caligo, fugam eripuerunt ruinae.

Nulla salus: urgente malo circum undique septi,
Capti oculis animisque altum descendere caelum
Credidimus, verti nobiscum elementa, perire 95
Naturam, et Mundi in nihilum partem esse ruentis
Nec timuisse quidem licuit: praesentia lethi
Abstulerat sensus: hinc desperatio lucis,
Projectusque dies, nulla ore, aut pectore vota: 100
Tantum altus stupor, inque vicem formidinis horror.

Kajetan Vičić

Iesseis

1.
Ille ego, qui Veneto solitâ stagnare Timavo
Euganeâ cecini Phrygii positoris in urbe
Vota fidemque Viri, nec non Venusina coëgi
Barbita Dircaeum carmen resonare patronis
Gratum Caelicolis, Tuscum nunc missus ad Arnum,
Laxat ubi patrias sanguis Mediceus habenas,
Fata Palaestinae plusquam communia Nymphae
Fallacesque thori Solymaeas dicere taedas,
Iessigenae nuptae titulos uterumque potentem
Numinis et laetâ Mariam producere Cirrhâ
Invito non Musa iubet. Iesseus Avorum
Quantus honor regum! Quanta haec natalis Idumae
Gloria! Fecundi qualis sine semine splendor
Connubii, tumuisse datâ divinitus alvo
Cui soboles Deus est. Vestrum date, sidera, lumen
Et numeros da, Phoebe, tuos! Me dextra volentem
Flamma rapit tantae famam componere nuptae
Et resides animare Nuru Iesseide chordas.

2.
Alma nurus materque sacrae non innuba prolis,
Virgo, mone, si dicendi mihi copia veri
Illimi de fonte fluit, si laurea dignâ
Fronte viret; Cirrhaeus eris cui maior apertus
Fama latex, praesente tuo si Numine rebus
Consona Pimplaeo vox purior exeat antro,
Laeta adsis caleatque mei tibi gratia plectri!
Aura, sub Aoniis qua nulla beatior umbris,
Afflatu spem vince tuo! Caelo orta decebat
Virginei solam postquam te laurea partûs,

Es laurus spes una meae: tibi, suave canorae
Iste meus gaudet supplex labor esse columbae.

3.

Nec te Virginei, Iosippe, tacere iugalem
Connubii fas esse potest: eris aequa canenti
Materies, quantumque valent mea carmina, iustae
Deses erit numquam praesens industria famae.
Te placidum nostris conatibus esse, virorum
Summe, peto: tu plectra move, tu pollice fila
Tende, tuum atque tuae nomen sortita maritae.

4.

Vos quoque, Pierides, si qua estis vatibus aequa
Numina, Pierides, Scythico si libera rupto
Versatis iam colla iugo, iam reddita vestro
Est prior Adriadûm si sanguine gloria rivo,
Carminibus faciles, quâ liberiore potestis
Purgataque feris Thracum stridoribus aurâ,
Aspirate meis! Et ne Rhodopeius ultra
Instabiles vos terror agat, concedite, Nymphae,
Tutricem vestro Mariam considerare Pindo
Et Dominae iustos lauro componere fasces.

5.

Flagitium quod fecit Hymen, primamque iugalis
Quam pestem transfudit amor. Novus, aequior, orbi
Prodiit, opposito veterem molimine labem
Proscripturus Hymen: Iessei haec stipitis alta
Maiestas, ubi ramus erat, frondisque propago
Sanctior, augustis produxit foedera taedis.

Brno Zamagna

Elegiarum monobiblos, Ad virginem nascentem

Qualis noctivagae Phoebes nitor almus Olympo

Emicat, ac niveis invehitur bijugis;

Qualis ab Eois nimbo conspersa rosarum

Memnonis illa parens prosilit aequoribus;

Qualis et imbriferas ubi guttas auricomus Sol

Permeat, in vario lumine versicolor

Post hyemem jam depulsam, post nubila tetra

Formosae facies Iridos exoritur;

Talis ades nascens: quid talis? Ne, bona, saevi;

Quin potius vati parce, puella, tuo.

Pauperis hoc vitium linguae, quae nescia fari est,

Quod videt attonitis sensibus in te inhians

Mens animi, puras quum primum lucis in oras

Matris felici laberis e gremio:

Conatur tamen ipsa, potis si dicere, et omnes

Verborum nequidquam anxia versat opes,

Vestigatque undas, poti queis ducere vates

Suerunt Ismariis culminibus nemora,

Atque Hebrum Tanaimque inhibere: heic deficit humor

Pegaseus, fons heic aret Apollineus;

Rerum nulla refert species te, diva, venustum

Nil est, quo non sis tute venusta mage.

Quippe venis, qualem voluit Sator ille supremus,

Et voluit, qua nec pulcrior ulla fuit,

Nec melior, volvens te aeterna in mente, priusquam

Mundi libravit moenia ponderibus,

Effuditque auras late, certisque revinxit

Terrarum clausum finibus Oceanum,

Sidera et immisit caelo. Tu namque fuisti

Illud opus, majus quo nihil ipse Deus,
Condidit et solem quamvis et sidera prompsit
E tot inexhaustae mentis imaginibus;
Tantaque virtutis tua sunt exordia, nondum
Nata omnes omni ut decore antevoles.
Nil igitur conferre tibi sese audeat: atqui
Non ideo has humiles sperne puella domos;
Has tibi praecipue rerum pater ipse paravit,
Praecipue tellus condita et astra tibi.
Aspice fulgentem lunam, quae dum aurea caelo
Ducit sidereas nocte silente faces,
Optatum per lassa dabit tibi membra soporem
Pallidula teneros luce fovens oculos.
Aspice et auroram: rubuere ardentia caeli
Templa, rubent longe culminaque et silvæ:
Haec tibi solis erit praenuncia. Jam nova rerum,
Quoquo oculos vertas, se facies aperit:
Tethyos en pura prodit sol almus ab unda,
Vanescunt tremulis sidera luminibus,
Nusquam atrae est facies noctis: tantum ille coruscans
Litore ab eoo litus ad hesperium
Spicula diffundit lucis volitantia; quae se
In septem postquam stamina dissolūunt,
Omnibus ille suos rebus color, omnibus illa
Et forma et species floribus enituit.
Tum libani te [d] [□] cedri, et sioniae cyparissi,
Tum vocat atque ingens palma, oleaeque viror,
Et riguo platanus campo, Hiericuntis et illa
Ambrosium os rubro tincta lepore rosa:
Dumque vocant, placidas zephyris motantibus auras,
Adsonat omne avium per nemora alta genus,
Colluditque iterans blando tua nomina cantu.

O quae tam felix nasceris, haud metuas
Heic habitare; tuo si nunc dignabere terram
 Adspectu, veterem se induet in speciem;
Qualem habuit, miseram quum nondum perdidit Heva
 Decepta inferni fraude mala colubri.
Omnia sunt illi primum hoc de fonte coorta
 Tot mala, et omnigenae semina nequitiæ:
Quae cunctis natura parens infausta suorum,
 Hausere ut primæ tempora vitæ homines,
Insinuat penitus; tibi sed, quæ colla draconis
 Presseris in caræ matris adhuc gremio,
Haud unquam insevit. Semper curæque metusque
 Longe aberunt, falsæ et gaudia lætitiæ,
Et spes et desidideria atque aestus animorum,
 Transversos qui nos turbine conripiunt,
Aborbentque atrum in barathrum. Tibi pectoris omnes
 Motus pax certo foedere certa reget,
Nullo inconstantis fortunæ agitabere casu,
 Nulla tuum invadent nubila consilium:
Quæ sunt recta, voles; atque inter recta sequeris
 Optima quæque; in te candida lux inerit;
In te dius Amor, puram qui sæpius auras
 Te levis hinc pennis evehet aureolis
In superas alte volitans, ubi purior æther
 Et supra Sinain et juga Thaborea
Ridet, et haud ullo concussus turbine saevit.
 Illic tu nigris altior et nebulis,
Altior et nimbis ventisque furentibus omnes
 Despicias casus, despiciasque minas,
Queis humilis regio hæc miscetur. Quare age læta
 Regina o terras ingredi, ipsa decus,
Ipsa aderis magnum columen mortalibus ægris.

Quos inter quum me videris, affer opem
Jactatoque vagoque: orto jam sidere tanto
In medio incolumes ibimus Oceano.